



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XXX. De Decimis, Primitiis, Et Oblationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

CAPITULUM II.

Novum.

PARAPHRASIS.

Exactionis hoc novum genus est, si Clerici à Clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini reperitur, quòd Levitæ à Levitis decimas acceperint. Veruntamen Clerici, quibus alij Clerici spiritualium ministeriorum labores impendunt, hisipsis decimas merito persolvunt.

PARAPHRASIS.

Quomodo Clerici ad decimas dandas obligentur.

NOtandum. Clerici, qui decimas, aliòsve fructus ex titulis Ecclesiasticis accipiunt, ex ijs sibi invicem decimas non dant. At verò ex alijs proventibus suis Clerici pastoribus, à quibus spiritualia accipiunt, decimas dare coguntur. Ita explicat *Suarez lib. 1. de decimis c. 17.*

Verum hujus cap. vix aliquis hodie locus est, quia personales decimæ hodie non sunt in consuetudine; at verò in decimis realibus, spectato communi jure, attendi debet ad parochiam, intra cujus fines prædium situm *c. quoniam 13, hoc tit. Vide, quæ dixi lib. 4. tra. 6. c. 1. n. 3. & c. 3. n. 2.*

CAPITVLVM III.

Ex multiplici.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem, & Conventum ex una parte, & parochum nomine Ecclesiæ suæ ex altera parte transactio facta fuit, instrumento authentico monachorum roborata, quòd monachi parochi, & Ecclesiæ

Y y 3 ejus

Inter jura parochialia non minimum locum tenet jus decimarum, primitiarum, & oblationum; idè postquam de parochijs, & quibusdam ejus juribus actum est, peculiariter jam titulo de decimis &c. subjungitur.

CAPITULUM I.

Decimam.

PARAPHRASIS.

Populus Israeliticus partem decimam frugum ex Legis Præcepto Leviticæ Tribui solvebat; & rursum Levitæ ex ipsis decimis partem decimam Sacerdotibus *lib. 2. Esdra c. 10. v. 37 Deuter 18. v. 23.* Erant & aliæ decimæ fructuum, quas quisque è populo in hortis separabat, ut cum in templum Jerusalem iret, eas comederet in vestibulo templi cum Sacerdotibus, & Levitis *Deuter 12. v. 11. & 14. capite v. 22.* Sed & aliæ decimæ erant, quas pauperibus recondere solebant *Deuter. 26. v. 12.* At verò primitiæ, quas de frugibus offerrebant Hebræi, non erant in quantitate definitæ, sed offerentium arbitrio relicta: erat tamen traditio Hebræorum à Magistris introducta, quòd, qui plurimum dare vellent, quadragesimam partem; qui minimum, sexagesimam darent, adeoque inter quadragesimam, & sexagesimam offerre liceret, quòd cuique liberet; & ita, quòd in Pentateucho decretum non erat, id Magistri Hebræorum definièrunt, propter Sacerdotum avaritiam, ne supra modum exigerent, ut colligitur *ex c. 45. Eszechielis v. 11.*

ejus de frumento, & omnibus leguminibus, quamdiu is viveret, decimas persolvere debeant, exceptis decimis minutis. Deinde verò Abbas à Pontifice privilegium obtinuit, ut de terris, quas proprijs manibus, aut sumptibus monasterium excolit, nulli teneantur solvere decimas: post acceptum privilegium, idem Abbas, colonos ex villa, monasterio à Rege Angliæ donata, quæ intra parochiam illam sita erat, expulit, & totam eam terram proprijs sumptibus, & laboribus colere cepit. Hoc intellecto rescripsit Hadrianus IV. ad Episcopos quosdam, ut Abbatem, & monachos ad dictam transactionem (non obstante privilegio illo, si in eo transactionis mentio nulla fuit) cum parochiano in inviolabiliter servandam, vel pacificè cum eodem componendum compellant.

SUMMARIUM.

1. Potest transigere parochus super decimis, ita, ut non videatur opus esse auctoritate Episcopi, si transactio sit temporalis, & personalis, ad vitam parochi v. g.
2. Privilegium exemptionis à decimis non derogat speciali transactioni, quæ antecessit, nisi fiat de ea in privilegio mentio.

Notandum primum. Parochus transigere potest super decimis v. g. cum monasterio; neque videtur, opus esse auctoritate Episcopi, si transactio sit temporalis & personalis, videlicet ad vitam parochi. Ita *Gl. hic v. eodem. Rebuff. de decimis q. 13. n. 33.* & dixi in *c. venient 8. de transactionibus*, & in *disp. de alienatione thes. 81.* Contrarium verò docet Abb. in *c. quamvis hoc tit.* opus esse auctoritate Superioris, si concessio sit ad tempus longum, aut vitam parochi. Et ita in multis diocesis observatur. Attendenda itaque est consuetudo, & statuta synodalia, in quantum tempus parochi

concessionem, seu elocationem, & consequenter transactionem liberam permittant.

Notandum secundum. Privilegium exemptionis à decimis non derogat speciali transactioni, quæ antecessit, nisi de ea in privilegio mentio fiat. Ita hic, & docui in *1. tra. 4. c. 23. n. 6.* Ratio est duplex prima. Cùm per transactionem jus parti acquiritur fuerit, non censetur Princeps ei derogare velle, nisi exprimat, *argum. e. mandatum 38. de rescriptis junctâ Gl. finali. Hæreticæ in c. extuarum 5. de auctoritate, & obsequio p. lijen c. super 15. de officio delegati.* Aliter, quia Papa verisimiliter non concessisset privilegium, si transactionem cognitam habuisset, quandoquidem, quæ semel transacta, & composita sunt inter partes, redigi diu facile non debent *L. causas 16. c. de transactionibus.* quare subreptitia censetur perpetratio privilegij, si antecedentis transactionis mentio non fiat, *c. super 20. de rescriptis.*

CAPITULUM IV.

Commissum.

PARAPHRASIS.

Delatum fuit ad Hadrianum IV. quibus monachi de Bossa Ecclesiæ S. MARIE, in cuius parochia morabantur, decimas integre non persolverent; ea propter mandatis Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi (qui postea circa annum Christi 1170. ob Ecclesiasticæ immunitatis defensionem martyrio coronatus est, sub Alexandro III. Papa) ut monachos ex terra cultis, in quibus olim domus consisterat, ad decimas integre solvendas parochiæ compellat, sicuti, ea priusquam monachi intra parochiæ fines mortuarentur, pendi consueverant, & sicuti olim ex pascuis decimæ persolvi integre debeant.

SUMMARIUM.

1. Dominus fundi decimalis arbitrato suo mutationem insinuare potest, ex agro v. g. faciendo horum, modò hoc non fiat in fraudem Ecclesie.
2. Ita, ut maneat decimarum obligatio in substantia, quamvis mutetur in qualitate.
3. Cui ex vineis, in quas ager v. g. mutatus est, jam solvenda sint decima, si alij ex vineis decima solvantur, alij ex agris.
4. Utrum post factam talem mutationem decima solvi debeant ex illis fructibus, ex quibus ob loci consuetudinem nulla decima solvantur, si fundus prius decimalis in tales fructus vertatur?

Notandum primum. Dominus fundi decimalis arbitrato suo mutationem insinuare potest, v. g. ut ex agro faciat horum, dummodo partem decimam fructuum solvere paratus sit. Ita *Abb. hic n. 2.* Amplius, & si agrum decimalem aliquamdiu incultum relinquit, non posse contra eum agi, præterquam, si id faciat in fraudem, videlicet nullâ iustâ ratione motus, adeoque ut Ecclesie obstat, sibi non profit: in hoc casu Ecclesia officium Judicis implorare potest, ut ad fundum colendum dominus ejus cogatur.

2. Notandum secundum. Si prædium sit ad decimas obligatum, & mutatio fiat, ita, ut ex prato fiat ager v. g. vel ex prædio urbano prædium rusticum, decimarum obligatio manet in substantia, licet mutetur in qualitate: quia, ut *Andreas hic ait n. 2.* etsi qualitas terræ mutetur, non tamen substantia, quandoquidem terra decimalis non gerit obligationem ad decimam partem determinantum fructuum, aut proventuum, sed quorumlibet *c. cum in tua 30. hoc tit.*

3. Queritur primum. Si per consuetudinem alicubi introductum sit, ut ex vineis, v. g. decimas percipiat monasterium, ex agris verò parochus, & agri convertantur in vineas, pertinebuntne harum decimæ ad

monasterium? Resp. cum *Hofst. & Joann. Andrea hic n. 3.* consuetudinem, ut de vineis decimæ monasterio solvantur, servandam esse, quòd ad ea tantum prædia, in quibus est præscripta, non quoad alia, quæ de novo in vineas rediguntur; cum enim in his monasterium jus decimandi non possederit, non potest censeri præscripsisse, quia præscriptio sine possessione non est, ideoque præscriptio; quippe stricti juris, non extenditur de re ad rem, nisi propter connectionem, sive inseparabilitatem, uti docet *Gl. in c. auditi v. interruptionem, ibidem Felinus n. 20. de præscriptionibus. Abb. in cit. c. cum in tua n. 3. Baldus de præscriptione p. 2. in principio. q. 2. n. 11.* ubi aiunt, quòd præscriptio non extenditur ad futura similia.

Secus verò dicendum de privilegio juxta *c. quia 22. de privilegijs*, si v. g. monasterio indefinitè, aut generatim concessum sit, ut ex vineis decimas percipere debeat, & postea agri in vineas convertantur, etiam harum decimatio monasterio debetur, quia concessio indefinita etiam ad futura similia extenditur, nisi appareat, aliam fuisse concedentis intentionem. Accedit, quòd & vice versâ, si vineæ in agros convertantur, decimæ ad parochiam spectent; erit itaque æqualis conditio, ita, ut, qui oneri subditus est, etiam commodum accipiat juxta *regulam 55. in 6.* qui sentit commodum, sentire debet & onus, ac vice versâ. Idemque sentiendum est de transactione, uti constat *ex c. precedente & notat ibi Gl. v. quamdiu vivere.* Limitari debet, si postea accidat, ut Ecclesia parochialis nimium gravetur, quia agri plerique in vineas convertuntur, ut ministri necessaria non habeant, tunc judicis officio, vel partium compositione succurrendum est, quia privilegium non censetur concessum cum tali gravi præjudicio *c. suggestum 9. hoc tit.* sed neque transactio ita intelligitur, ut parochia debito suo fraudetur; cum in omni promissione ea excepta censeantur, ad quæ verisimiliter, aut rationabiliter se extendere non potuit.

potuit. Confirmatur ex eo, quòd & ipsis parochianis grave accidat, & quodammodo injuria inferatur, si ipsi decimas solvant, quæ suapte institutione debentur Ecclesiæ parochialis ministris, ij verò egere debeant, seu sustentationem sufficientem non habeant. Quare ipsi parochiani querelam deponere, & Ecclesiastici Prælati officium implorare possunt; tunc verò videndum, ad quemnam decimæ deveniant; neque enim ad alium quemcunque, translatio quacunque, etiam pontificia auctoritate, fieri poterit justè, nisi cum onere, suapte naturâ decimis annexo, ut Ecclesiæ ministri necessaria habeant, quam rem bene explicat *Suarez lib. 1. de decimis c. 15. n. 9.* ubi rectè ostendit, populum in hoc casu non posse cogi, ut parochi, & ministris sustentationem præbeant, quando ipsè decimas dare solet, quæ aliò derivantur.

Porro quod supra de præscriptione dixi, eam non extendi ad similia futura, id limitatur, nisi adsit consuetudo præscripta ratione quadam universali, tunc ea extenditur ad species contentas sub universali, secundùm theoriam *Innocentij in c. dilecto n. 10. de officio Archidiaconi Baldi cit. q. 2. n. 20.* Explico: si monasterium v. g. consuetudinem ostendat immemorabilem, quòd si intra parochiam in aliquo fundo de novo vites plantatæ sint, inde decimas exegerit, eâ solâ ratione, quia ex vineis omnibus, etiam de novo plantatis, decimæ debeantur, per hanc præscriptionem acquiritur jus universale, quod ad omnes particulares pariter applicatur. Quemadmodum hoc idem dici solet de similibus actibus jurisdictionis, si quispiam jurisdictionem generatim præscriperit, sicuti docuit *Jafon in L. Imperium n. 23. ff. de jurisdictione.* cum jurisdictio præscribatur per actus, qui exercentur, non est dicendum, quòd solùm acquiratur jus circa actus gestos, sic enim nihil acquireretur in futurum, sed dicendū est, quòd omnes actus ejusdem speciei quasi possidentur. Eademque ratione aliquis Princeps præscribere potest

omnes insulas, quæ in fluvio aliquo exsurgunt.

Quæritur secundò, Si consuetudine introductum sit alicubi, ut decimæ sicuti solvantur ex pratis, aut decimæ oleorum arborum non solvantur ex hortis, accidet autem, ut agri decimales vertantur in prata, aut hortos, num obligatio decimarum in ijs cesset. Respondetur sicuti ad questionem præcedentem; præscriptio immunitatis à decimis cum sit juris stricti, & non extendenda, restringi debet ad eos hortos, & prata, in quibus possessio immunitatis habebat, non autem ad eos referenda. *Suarez*, qui hæc tenet decimales, nunciat præta, & hortos rediguntur; præterquam, si consuetudo, quibusdam actibus sub generali ratione exercitis ostendi possit legitime præscripta, videlicet, si talis casus de novo acciderit, ut ager v. g. in pratum converteretur, quod eâ ipsâ ratione à decimis immune censeretur, tum jus hujus consuetudinis etiam ad futuros similes casus extenditur. Excipe, nisi eâ ratione Ecclesiæ parochialem nimis gravari contingat, ut supra dixi, vel nisi in fraudem fiat, ut aliquis de industria, sive eo principaliter fine, agros redigat in prata, vel hortos, ut Ecclesiæ decimis defraudet.

CAPITULUM V.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

Parochiani à Prælati Ecclesiasticis compellendi sunt sub excommunicationis censura, ut etiam de proventus molestantium & piscariarum, item de lana & lana decimas Ecclesijs persolvant.

SUMMARIUM.

1. Monendi, & compellendi sunt Parochiani à Prælati Ecclesiasticis, si in decimis decimas suis negligentes, & molestantes.

2. De jure communi, etiam de personalis industriae lucris solvenda sunt decima, consuetudo tamen circa has observanda.

1. Notandum primum. Prælati Ecclesiarum incumbit, ut parochianos, si in mora, aut negligentia sunt, moneant, & inobedientes sub excommunicatione compellant, ad solutionem decimarum; nam ad Prælatum, videlicet Episcopum, ratione muneris sui pertinet cura Ecclesiarum, ut earum jura conservet, & imminui vel tolli non patiatur. Videri potest *Gl. in c. 3. de officio Archidiaconi.*

2. Notandum secundum. Spectato communi jure etiam de fœno, lana, & minui ioribus proventibus, imò etiam de molendino, piscatione, venatione, & alijs personalis industriae, decimæ solvendæ sunt. Hac tamen in re consuetudo provinciarum attendi debet, per quam decimæ personales, sive ex lucris personæ provenientes fermè ubique abolitæ sunt, uti docui *lib. 4. tra. 6. c. 1. n. 4.*

CAPITULUM VI.

Nuncios.

PARAPHRASIS.

Mandat Alexander III. Vintoniensis Episcopo, ut parochianos, seu diœcesanos de apibus (videlicet fructu ex apibus collecto, id est, melle & cerâ) & de omni fructu decimas solvere per censuram Ecclesiasticam compellat. Vide, quæ dixi *in c. procedente*, & Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 12. de reformatione.*

CAPITULUM VII.

Cùm homines.

PARAPHRASIS.

Incolæ de Hortona, qui de frugibus novem sibi retentis partibus, decimam parochiæ sine diminutione solvere debe-

bant, priusquam id facerent, servis & mercenarijs suis totius anni mercedem ex frugibus non decimatis solvebant, ex residuo autem decimam partem Ecclesiæ dabant. Hoc intellectu mandat Alexander III. ut de fructibus collectis decimam partem mox solvant, atque de subtractis Ecclesiæ fructibus dignam satisfactionem præsentent.

SUMMARIUM.

1. Decima prædiales solvenda sunt, non deductis expensis.
2. Transeunt ad quemcumque possessorem cum hoc onere fructus indecimati.
3. Qui in mora est solvendarum decimarum, si ea propterea pereant, ad satisfactionem parochi præstandam obligatur.

1. Notandum primum. Decimæ prædiales solvendæ sunt non deductis impendijs. Ita etiam habetur *in c. non est 22. c. tua 26. eodem tit. & explicavi in eodem tract. c. c. 2. n. 4.*

2. Notandum secundum. Postquam fructus à solo separati sunt, decima pars ad Ecclesiam spectat. Hinc sequitur primò. Quòd fructus indecimati ad quemvis possessorem cum hoc onere transeant, uti docet *S. Thom. 2. 2. q. 87. c. 4. ad 2. & explicavi latè cit. c. 2. n. 4.* Vide etiam *Rebuffum de decimis q. 12.* ubi ostendit, monitione opus non esse, nisi eo fine, ut censura propter contumaciam, moroso debitori inferri possit juxta *c. 5. hoc tit.* alioquin verò collectis frugibus statim paratus esse debet colonus ad decimæ præstationem.

3. Sequitur secundò. Si colonus in solvendi mora sit, & obeam decimæ auferantur, vel pereant, quòd satisfactionem præstare debeat parochi *l. cum res 47. §. ult. ff. de legatis primò.* ubi distinguunt Doctores, an nihilominus res peritura fuisset apud creditorem, si solutio in tempore facta fuisset, nec ne. Quòd si colonus obtulit parochi, vel eum monuit, ut reciperet, isque accipere

perè neglexit, periculum, atque interitus rei, si culpa coloni non intervenit, Parocho incumbit, *L. qui decem 72. ff. de solutionibus*. Ceterum si postea iterum recipere velit Parochus, ac colonus dare recuset, tunc iterum in culpabili mora centebitur esse colonus; semper enim posterior mora nocet *L. illud 17. ff. de periculo, & comodo rei vendita. & tradit Gl. hic V. fructibus collectis*.

CAPITULUM VIII.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Monachi de Neuclan impetrarunt à Papa privilegium, ut non teneantur decimas solvere ex prædijs, quæ proprijs laboribus, ac sumptibus colerent; postea verò multa prædia sita in parochia, Abbatis & Fratrum S. Crucis, ex quibus ipsi decimas, & sustentationem percipiebant, conduxerunt ad firmam, sive sub certa annua pensione. Ea re, cum Abbas & Fratres S. Crucis se enormiter gravatos sentirent, Alexandro III. questi sunt; is responder, non fuisse suam, aut Antecessorum suorum intentionem, ut ex possessionibus conductis Monachi privilegiati decimas non solverent, ideo mandat ipsis, ut ex talibus prædijs, ex quibus antea Abbas & Fratres S. Crucis decimas accipere soliti sunt, integrè eisdem solvant, aut cum ipsis amicabiliter rem componant.

SUMMARIUM.

1. *Privilegium de non solvendis decimis ex illis, quæ proprio labore, aut sumptu quis colit, intelligi non debet de prædijs conductiis ad decimas obligatis.*
2. *Neque de prædijs emphyteuticis taliter obligatis.*

Notandum primum. Si aliquibus à Papa privilegium datum sit, ut ex præ-

dijs, quæ proprio labore, aut sumptu colunt, decimas solvere non debeant, id non intelligitur de prædijs conductiis. Ratio est, quia privilegium quatenus cedit in alterius præjudicium, strictè est interpretandum, ut docui *lib. 1. tra. 4. c. 23. n. 1. §. de acti. tem.* Item Principis privilegium non ita intelligi debet, ut per illud grave præjudicium alteri inferatur *L. 2. C. de precibus Imperatori offerendis. & tradit Innoc. in c. dilecti V. beneficijs. de donationibus. & dixi in c. 3. hoc. tit.* tale autem fuisse præjudicium, & damnum parochialis Ecclesie, si Religiosi etiam in conductiis prædijs à decimis solvendis immunes essent: hoc privilegium datum Religiosis ad prædia propria restringendum est, & non de conductiis accipiendum.

Idem quoque sentiendum de prædijs emphyteuticis, id est, quæ Religiosi privilegiati in emphyteusim accipiunt, si antea decimis fuerint obligata, propter illud privilegium, non solvendi decimas, ex proprijs laboribus (sive ex prædijs, quæ propriam manu, aut sumptu excolunt) non esse exempta, sicuti bene docet Suarez *lib. 1. de decimis, c. 19. n. 12.*

Notandum secundum. Si Religiosi propria prædia non sufficient ad sustentationem, possunt conducere aliena, ut excolant, non causâ lucri, sed ob necessitatem sustentationem. Ita *Gl. in c. ult. di. 86. & docui lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 39.*

CAPITVLVM IX.

Suggestum.

PARAPHRASIS.

Abbas, & Fratres Dolonenses significarunt Alexandro III. quòd Abbas, & Fratres monasterij Ursinensis decimas ab ipsa contra suorum privilegiorum rationem exigere, & auferre conentur. Ad hoc rescribit Papa, & mandat Abbati, & Fratribus Dolonensibus, ut cum Ursinensibus super decimis componant, quia

cum Romana Ecclesia huic Ordini (Cisterciensium, interprete *Innoc. hic*) privilegium immunitatis à decimis dedit, pauca erant ejus Ordinis Abbatiæ, ita, ut exinde scandalum jure merito generari non posset, sed nunc adeo aucta, & possessionibus locupletata sunt Abbatiæ ejus Ordinis, ut multi viri Ecclesiastici ob illam immunitatis concessionem, querelam apud Sedem Apostolicam proponant.

SUMMARIUM.

1. Religiosis curam parochialem habentibus decime debentur.
2. Privilegium, quod successu temporis in grave Ecclesiarum præjudicium tendit, cessare debet.
3. Nisi privilegium concessum effectum suum jam plene consecutum esset.

Notandum primum. Si Religiosi curam populi gerant, seu parochias incorporatas administrant, decimas exigere possunt, sicuti curati sæculares.

Notandum secundum. Si privilegium temporis progressu in grave aliorum præjudicium tendat, ita, ut scandalum, & querelæ justæ oriantur, cessare debet, vel revocari privilegium. Ita *Innoc. & alij hic. Rebuff. q. 14. n. 55. Suarez lib. 1. c. 20.* & sumitur ex *L. ex facto 43. ff. de vulgari & pupillari substitutione. c. cum ad hoc 16. de Clericis non residentibus.* ubi textus, & DD notant, quod privilegium non residendi, si per rerum mutationem Ecclesiæ onerosum fiat, aut scandalum, & querelam justam generet, attendi non debeat: & hæc jura ostendunt, privilegia per se cessare, saltem si causa mutari statûs, & orti gravaminis, notoria sit, alioquin ad Principem, sive eum, qui privilegium dedit, recurri debet *cit. L. ex facto. c. cum venisset 12. de iudicijs.*

Veruntamen intelligi non debet doctrina de privilegio, quod consecuto effectu consumatum est, ut si Principis rescripto h-

lius naturalis legitimatus sit ad hæreditatem patris, postea verò nascatur filius legitimus, non retractabitur privilegium, per quod jus absolutum acquisitum fuit, uti respondit *Abb. hic. n. 5. ex regula 73. in 6.* Sed intelligitur de privilegijs, & gratijs habentibus effectum successivam, v. g. immunitate à decimis, à residentia &c. licet enim privilegium ab initio & pluribus sequentibus annis vim habuerit, tamen succedente tempore fieri potest, ut ejus vis, & effectus ob rerum mutationem fiat nimis onerosus, ideòque cesset, cum non fuerit intentio concedentis ad eum casum privilegium extendere. *argum. cit. L. & in simili docui cit. lib. 1. tra. 4. c. 22. n. 15.*

CAPITULUM X.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Pro intellectu Capituli notanda est *Glossa solemnis hic. V. Laborum*, quod Monachi olim, cum in parochijs divina audire & Sacramenta percipere solerent, ex omnibus rebus decimas dare debuerunt parochijs, uti colligitur ex *c. alia causa 6. & c. sequente. c. interdicimus 10. & alijs Capitulis in causa 16. q. 1.* & notat etiam *Rebuff. q. 14. de decimis. n. 37.* At verò tempore Concilij Cabilonenfis sub Carolo Magno *c. 19.* & iterum à Paschali Pontifice, uti legimus *in. c. questi 40. & c. sequente. eadem q. 1.* concessum est, ut Monachi, & Clerici in communi viventes, ex laboribus suis, ac nutrimentis, adeòque ex hortis, ac prædijs, quæ proprio sumptu, aut labore excolerent, decimas solvere non deberent. Successit deinde aliud tempus sub Adriano IV. & Alexandro III. qui jam dictum privilegium ad solos Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios restrinxerunt, cæteris verò Religiosis duntaxat decimas ex novalibus suis, pascuis, & hortis remiserunt, sicuti in textu hujus Capituli habetur.

betur. Denique *Innoc. III. in c. penult. hoc tit.* privilegium Cisterciensibus, Templarijs, & Hospitalarijs concessum restrinxit ad prædia, quorum possessionem ante Lateranense Concilium sub Alexandro III. habuerunt; at verò ex prædijs postea acquisitis ad decimas dandas ijs, quibus dari solita sunt, priusquam ad Religiosos illos prædia pervenerunt, obligati esse debeant; salvo interim manente privilegio omnibus Religiosis, & Clericis in communibus viventibus concessio, quoad novalia, pascua, & hortos ipsorum. Hanc ipsam rem explicavi etiam *lib. 4. tra. 6. c. 3. n. 4.* & videri potest *Rebuffus cit. loco.*

CAPITULUM XI.

Licèt.

PARAPHRASIS.

Tametsi Religiosis quibusdam, videlicet Cisterciensibus, Hospitalarijs &c. indultum fuerit, ut ex prædijs, quæ propria manu, vel sumptu colunt, nemini decimas dare teneantur, non idè hoc extendi, & intelligi debet de prædijs, quæ Religiosi alijs tradunt excolenda.

SUMMARIUM.

1. De quibus prædijs intelligi debeat privilegium Immunitatis a decimis concessum Cisterciensibus.
2. Privilegium immunitatis hujus, si personale sit, non transit ad colonum.

Notandum primum. Privilegium Cisterciensibus &c. datum de immunitate prædiorum intelligi debet de proprijs prædijs, & quæ ipsimet colunt, pro sustentatione vitæ, dummodo ea ante Lateranense Concilium sub Alexandro III. acquisierint, & hæcenus possederint.

Adverte hic varijs modis tradi posse prædium alteri ad excolendum. Primò, ut mero famulo, qui sumptibus domini ex-

colere debet, constituta ipsi mercede, in pecunia, vel frumento, vel concessio illi in su, domo, & proventu fructuum &c. hoc in casu prædium sumptibus monasterij traditur, & idè privilegio immunitatis gaudet. Secundò, ut prædium alteri colendum tradatur ad *Firmam*, seu sub certa pensione annua pecuniaria, & hæc est propriè locatio, vel emphyteusis. Tertio, ut prædium alteri colendum tradatur, pro pensione fructuaria. Et hæc est improprie dicta locatio, & potius innominatus contractus, do, ut des, sicuti *Bartholus tradit in L. si merces. §. vis major. ff. locati. test tamen, & solet locatio appellari. L. olei 21. C. locati.* Quòd si ad decimas prædium ultra elocetur ager, emphyteusis contractus censetur, atque in his elocationibus certum est, prædia coli sumptibus colentis, & idè decimis esse obnoxia, uti hic dicitur. Quartò, ut prædium tradatur colono partiario, qui tanquam per societatis contractum v. g. dimidium, vel partem tertiam fructuum percipiat, alterum dimidium domino tradere debeat. De his ita elocatis prædijs dubitatur, num in privilegio illo comprehendantur. *Negat Clemens. 1. hoc tit. Abb. in c. prædiorum n. 2.* & puto veram esse sententiam, ut plerumque sit, colonus partiarus sumptus facere debeat, & idè majorem partem fructuum accipiat. At verò si monasterium sumptus faceret, ipsi autem colonus pars fructuum, v. g. quarta, solvitur duntaxat pro labore, tunc prædium a decimis immune erit; sin denique sumptus communes sint, tunc decimæ solvenda duntaxat ex ea parte, quæ colonus provenit.

Notandum secundum. Si immunitas a decimis concessa sit contemplatione personarum, ita, ut sit privilegium personale, non transit ad colonum; nec si esset reale privilegium, siue immunitas ipsi prædium data, quamvis in favorem personarum v. g. Regularium, ut si dicatur: eximimus Religiosos hujus Ordinis, eorumque prædia a decimis,

decimis, tunc neque coloni decimas dabunt; non quod ipsis immunitas aliqua concessa sit, sed contemplatione Religiosorum, seu propter ipsos, quippe, qui tantò majorem pensionem colonis imponent, uti advertit Suarez de decimis c. 19. n. 14. & videri potest Gl. in supra cit. Clemen.

CAPITULUM XII.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Quidam à Monachis Cisterciensibus, ex prædijs, quæ ipsi proprio labore, aut sumptu colebant, decimas exegerunt, privilegia eorum perperam interpretantes, quando ipsis concessum fuit, ut de laboribus, quos proprijs manibus, aut sumptibus colunt, decimas non solvant, quod nomine laborum novalia intelligi debeant. Hoc intellectu mandat Papa, ut exactio ista decimarum impediatur, & Cisterciensium privilegium defendatur, quia, si Pontifex, nomine laborum, novalia tantum intelligere voluisset, non labores, sed novalia posuisset.

SUMMARIUM.

Quomodo verba privilegij de immunitate à decimis intelligenda sint?

Notandum. Licet verba privilegij, quantum in aliorum præjudicium cedit, strictè sint interpretanda, uti dixi in c. 3. hoc tit. non tamen ita, ut à proprietate, communi acceptione, & usu verborum recedatur, ratio insinuat hinc, & in c. quia 22. de privilegijs, cum enim verba, quibus auctor utitur, significare debeant mentem ejus, præsumptio est, ita eum verba accipere, sicuti communiter accipi solent, etenim, si aliud significare voluisset, id proprijs, aut usitatis vocabulis expressisset. Verum cum hæc præsumptio tantum sit, ideo, si ex verbis adjunctis, vel oppositâ ratione, aut alijs conjecturis, contrarium

clare colligatur, videlicet legislatorem, vel privilegij auctorem, verbum accepisse improprie, vel minus usitate, tunc præferenda est hæc significatio, ut habetur in L. non aliter 69. ff. de Legatis 3. Idemque dicendum, si necessitas cogat, quia ex propria, vel usitata significatione contradictio, aliudve absurdum sequeretur, tunc non præsumitur, hanc fuisse ejus mentem, sed verba intellexisse, ita, ut dispositio rectè consistat, juxta L. 18. & 19. ff. de legibus, & explicavi lib. 1. tra. 4. c. 18. n. 6.

Videri etiam potest hic Abb. n. 2. quòd Legis, aut privilegij dubij interpretatio ad judicem spectet, si eam ex principijs juris communis, aut rationis naturalis facere possit; siquidem hæc interpretandi potestas etiam Doctoribus concessa est L. unica. C. de professoribus & c. lib. 12. Sin autem dubium arduum sit, ita, ut nec ex legibus similibus, nec ex naturali dictamine, aut communiter receptis principijs dissolvi possit, tunc ad principem, seu auctorem recurrendum, cum ejusdem sit Legem interpretari, cujus est condere. c. inter 31. de sententia excommunicationis.

CAPITULUM XIII.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Episcopus Brixienfis ab Alexandro III, quaesivit, quid de decimis novalium suæ Diocesis statuere debeat. Respondet Papa, si novalia intra certam parochiam sita sint, eorum decimas, demptâ portione Episcopali, ad eandem parochiam spectare; alioquin (id est, si non intra fines alicujus parochiæ sint) ad Episcopum pertinet, ut eas decimas alteri Ecclesiæ deputet, vel ad suas necessitates retineat.

SUMMARIUM.

1. Decima novalium ad quem pertineant?

Zz 3

2. Discri-

2. *Discrimen aliquod inter tributa & decimas.*

3. *Quando decima novalium ad Episcopum spectent?*

1. **N**otandum primum. Decimæ novalium (id est, prædiorum de novo cultorum, quæ antea supra hominum memoriam non colebantur, ita, ut nullum, aut modicum fructum afferrent *c. quid 21. de verborum significatione*) ad parochiam spectant, intra cuius fines prædia sita sunt. Ratio est, quia ipsæ terræ hoc onus ab antiquo sustinent, ut decimis obligatæ sint parochiæ illi, intra cuius fines existunt. Est itaque hoc onus reale, non personale *c. si quis Laicus 42. causa 16. q. 1.* Quod ipsum etiam in censibus seu tribus observatur *L. forma 4. §. 2. ff. de censibus.* Ita, ut is, qui agrum in una civitate habet, in alia civitate profiteri debeat, in qua ager est, & *L. 7. ff. de publicanis* Imperatores rescripserint, in vectigalibus (id est, tributis) scilicet ipsa prædia, non personas conveniri. Est tamen discrimen inter tributa, & decimas, quod tributa fundos secundum se afficiant, ideoque novus possessor fundi, etiam præteritorum tributorum, quæ soluta non sunt, ipsi fundo inhaerentem obligationem præstare debeat *cit. L. 7.* Sed decimarum obligatio fundis non inhaeret per se, sed respectivè, sive in ordine ad fructus, quibus per se, & immediatè onus decimarum inest, ad quemcumque ex possessorem veniant, ita, ut utilis vindicatio Ecclesiæ parochiali competat. Prout explicavi *lib. 4. tra. 6. c. 2. n. 5.*

2. **N**otandum secundum. Si novalia fiant intra Diocæsin, quæ non sint intra certam parochiam, decimæ eorum ad Episcopum spectant; nam ipse est ordinarius pastor, ac veluti parochus intra totam Diocæsin. Quare & Diocæsis interdum appellatur parochia Episcopi *c. penult. de donationibus.* & Diocæsanus quilibet Episcopi Parochianus, ut videre est *in c. sequente.*

3. **N**otandum tertium. Episcopus decimas novalium Ecclesiæ sicuti intra suam Diocæ-

sin sitæ applicare potest, etiam sine iurisdictione lemnitatis. Ita sumitur ex *hoc c. de communem doctrinam ait Abbas hinc, nam hæc non est propriè dicta alienatio, cum jus decimarum in novalibus de novo ortum, & nondum mensuræ Episcopali immutatum sit. Et hæc est doctrina, quam præcedenti *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 6.* quod prædictum sine Capituli consensu, aliusque iurisdictione lemnitatis, obesse, & præjudicare Ecclesiæ suæ possit in bonis, & iuribus acquirendis, tamen in acquisitis non potest, quod aliud est alienare, aliud non acquirere, & non tamen Ecclesiæ per restitutionem in integrum, si notabiliter laesa sit.*

CAPITULUM XIV.

Parochianos.

PARAPHRASIS.

Episcopus Parochianos suos ad decimas vendas per Ecclesiasticam censuram compellere debet, cum enim non ab homine, sed à Deo institutæ sint, tanquam debitum exigi debent.

SUMMARIUM.

Decima ministris Ecclesiæ præstanda, quæ divini juris saltem secundum rationem antiquæ Legis, & naturaliter spectata, ut sunt ratione sustentatio ministrorum Ecclesiæ.

Notandum primum. Decimæ novalium Ecclesiæ præstandæ à Deo militiam nem habent, & divini juris sunt, propter etiam habetur *in c. Tua 25. hoc. tit.* Et per duobus modis rectè intelligitur: primum, quod decimæ secundum imitationem antiquæ Legis, ab Ecclesiâ receptæ, constitutæ fuerint: quâ ratione jejunium quadragesimale, uti *S. August.* loquitur *in pluribus* 110. præcipitur nobis ex Legge, ex Prophetis & ipso Evangelio. Secundò, quod decimæ, materialiter spectatæ, secundum substantiam, ut videlicet Ecclesiæ ministris &

deles, quibus spiritualia ministrantur, justam vitam sustentationem tribuant, juris naturalis, ac divini sint, ipsiusque domini præceptum continent *Matth. 10. v. 10.* dignus est enim operarius cibo suo, quamvis formaliter, & secundum determinationem, ut videlicet sit pars decima proventuum, juris politici, atque Ecclesiastici sit, uti docet *S. Thomas 2. 2. q. 187. a. 1.* & alij Theologi contra Canonistas, & docui *in tit. tra. 6. c. 2.*

Secundò. Decimæ Ecclesijs parochialibus debite sunt à fidelibus, quia ex eorum parte obligatio orta est, & ex parte ministrorum Ecclesiæ actio nata; nam debitor, & creditor correlativa sunt *L. 10. ff. de verborum significatione*, ubi dicitur, creditores omnes esse eos, quibus debetur ex quacunque actione.

CAPITULUM XV.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Abbas quidam Laico, & hæredibus ejus decimas donavit. Hanc donationem Alexander III. decrevit esse irritam, quia Sanctuarium DEI jure hæreditario possideri non potest, idèoque Laicum illum, nisi decimas Ecclesiæ liberè resignarit, excommunicatione esse alstringendum.

SUMMARIUM.

Jus decimarum in Laicum à Prælati Ecclesiæ Papæ inferioribus transferri non potest.

NOTANDUM. Jus decimarum à Prælati Ecclesiæ in Laicum transferri non potest. Hæc assertio est manifesta, si loquamur de jure decimarum, quatenus spirituale est, sive in spiritualis officij titulo fundatur: sin autem sermo sit de jure decimarum, seu proventuum præcisè, & quatenus abstractum est à spirituali titulo, ita temporale quid est, videlicet jus accipien-

di decimam fructuum, cujus juris capax est Laicus: qua ipsa ratione olim ante annos amplius 450. Prælati jus decimarum Laicis in feudum dabant; postea verò, cum jus decimarum à spirituali titulo abstractio Prælati esset interdicta, & Pontifici reservata, ex eo tempore Canonica regula est apud *Gl. receptam in c. quamvis 17. hoc tit.* quòd omnis à Prælati juris decimarum alienatio facta in Laicum per donationem, venditionem, permutationem, feudum, emphyteusim, precarium, ipso jure irrita sit, neque Laicus in conscientia securus sit, donec decimas Ecclesiæ restituat, juxta *c. causam 7.* ubi id docui *de præscriptionibus*; interim nihil obstat, quòd minus parochus v. g. ipsam commoditatem fructuum decimarum vendat, vel ad tempus aliquod locet Laico, uti docui *in c. 2. de locato & in disp. de alienatione. thes. 8. & in Morali Theologia lib. 4. tra. 6. c. 6. assert. 5.*

Simile quiddam est, quòd jus monetæ cudendæ, cum inter regalia numeretur, alteri vendi, aliòque modo concedi non possit, ita, ut juris translatio, seu alienatio censetur, quia regalia alienari non possunt; at verò ipsa commoditas, seu lucrum ex moneta cudenda, ad tempus aliquod locari, aut vendi potest, & interdum solet Judæis, ita, ut ipsi nomine, auctoritate, & signo Imperij, Ducis, aut Comitum, cui hæc regale competit, monetæ cudant.

CAPITULUM XVI.

De Terris.

PARAPHRASIS.

Judæi compellendi sunt ad decimas solvendas, ex terris, quas colunt, vel possessiones relinquendas, ne aliquin Ecclesiæ suo jure fraudentur.

SUMMARIUM.

1. *Judæi bona immobilia possunt habere.*
2. *Co-*

Quamvis.

PARAPHRASIS.

Conqueritur Pontifex in hoc Capitulo, tantum, quod Laici aliqui sibi de rebus Ecclesiasticis disponendi assument licentiam, dum decimas in alios libere transferunt, sed quod hujus sui erroris correctionem in ipso clero reperiant, dum illi aliqui Ecclesiastici hanc dispositionem taliter de decimis licentiam permittere ad quæ præcavenda statuit Pontifex, ut si quisquam Prælatorum talium Ecclesiasticorum, Laico alicui in saculo venienti, decimas tales, Ecclesiam, vel oblationes concesserit, à statim suo sacro daretur, & non restitueretur, donec remedium daverit.

SUMMARIUM.

1. Laici sunt incapaces possidendi juris decimarum, non tantum quatenus spirituale hoc est, sed etiam quatenus temporale est.
2. Nisi speciali Summi Pontificis privilegio, aut legitima infensatione ab Ecclesia illud obtinuerint.
3. Probabilis tamen est, quod nec ultra ve tempus ab inferioribus Episcopis Prælati, post Lateranense Concilium, infensari possint.

Notandum primum, Laicos incapaces esse possidendi juris decimarum tantum, quatenus fundatur hoc in iure spirituali, sive obligatione administrandi spiritualia, quæ obligatio in Laicos non cadit, sed quatenus fundatur in solo utili iure percipiendi illas, secluso titulo spirituali, quod ut ex pluribus sacrorum Canonum textibus probatur, & tam ex hoc cap. clarè patet, quàm ex cap. causam quæ 7. de præscriptis ubi mandat Pontifex, causam, quæ inter Archidiaconum, & nobilem Laicum vertebatur.

2. Cogendi sunt ad decimas prædiales solvendas Ecclesia ministris ex prædijs prius decimalibus, quàm ad illos pervenerint.

3. Utrum & quomodo ad personales obligari possint?

1 Notandum primum. Judæi possunt habere possessiones, seu dominia rerum immobilium c. 2. de Indæis, sed Magistratus, seu dignitatem inter Christianos gerere non possunt L. hæc valitura 18. c. de Indæis.

2 Notandum secundum. Judæi cogendi sunt ad decimas prædiales solvendas Ecclesie ministris, ex ijs prædijs, quæ decimis obligata erant, priusquam ad ipsos pervenirent: nam onus hoc adhæret rei; onus autem reale ad quemlibet possessorem transit c. ex litteris 5. de pignoribus.

3 Quæstio est, num ad personales decimas obligari possint Judæi. Negat Gl. hic v. persolvendas. Innoc. & alij Canonistæ, Suarez lib. 1. de decimis c. 16. n. 4. Quia quoad personas suas Ecclesie non sunt subditi, & deest ratio, ac fundamentum, cur partem aliquam lucrorum Ecclesie ministris solvant, cum Sacramenta ipsis non ministrentur; & vera est hæc sententia, quod per se ac directè ad personales decimas non obligentur; attamen indirectè, & per accidens Judæi cogi possunt, & quibusdam in locis solent, ut ratione personalium decimarum, aut oblationum, quas fideles ministris Ecclesie præstarent in domibus, nisi à Judæis inhabitarentur, compensationem aliquam faciant argum. hujus cap. in fine. & c. quanto 18. de usuris in fine, ut sic Ecclesie conserventur indemnes, idque notavit Gl. in c. tua 26. v. prætextu hoc tit. Abb. hic n. 6.



hatur circa decimas, debito sine decidi, non obstante præscriptione temporis, cum enim, prout expressè dicit Pontifex, Laici decimas (id est jus decimandi) detinere (sive possidere civiliter, ut ait Glossa hic verbo detinere) non possint, eas nullâ valent præscribere ratione: non loqui autem Pontificem de juris spiritualis decimarum possessione, rectè inde concluditur, quòd non poterit nobilis ille jus tale spirituale præterdere, cum pateat omnibus, juris spiritualis possidendi capaces non esse Laicos. *Videatur Theologia Moral. Tract. 6. cap. 6. num. 8.*

Notandum secundum. Incapaces hujus juris temporalis decimarum Laicos esse, sine spirituali Summi Pontificis privilegio, aut alio legitimo titulo, factæ v. g. legitimæ infeudationis ab Ecclesia; cujus perpetuè faciendæ, hodie quidem post Lateranense jus non habent inferiores Pontifice Prælati, habuerunt tamen olim ante Lateranense, sub annum Christi 1179. celebratum: quamvis enim antiquior prohibitio talis infeudationis perpetuæ ab inferioribus Prælatiis faciendâ habeatur, facta per Urbanum secundum in Concil. Turon. sub annum 1096. celebrato, benè tamen putant multi, passim receptam hanc constitutionem non fuisse, neque in usum deductam, usque ad tempora Alexandri III.

Notandum tertium. Quamvis sint aliqui, qui probabiliter velint, neque hodie prohiberi inferioribus etiam Prælatiis, de decimis, saltem quatenus jus præcisè temporale importat, ad tempus breve infeudate Laicos, cum ea tantùm infeudatio decimarum per Concilium Lateranense prohibita sit, quæ perpetua est, & magnum Ecclesijs nocumentum infert; probabilius tamen alios judicare, commoditatem quidem colligendorum fructuum decimarum Laicis ad breve tempus eiocari posse, jus tamen colligendi suo nomine tales decimas, non concedi posse Laicis, cum verba Canonis, prohibentis decimas in Laicos transmissi, absolute loquantur, & merito ad cavendas multas fraudes, etiam hanc tem-

poralem infeudationem prohibere videatur.

CAPITULUM XVIII.

Cum sint.

PARAPHRASIS.

Quærebatur ex Pontifice, cuinam Ecclesiæ solvi debeant decimæ de prædijs, quæ in aliena Parochia excolunt aliqui, cum ipsi tamen extra parochiam illam alibi domicilium habeant: cui quæsito, cum diversæ SS. PP. super eo auctoritates habeantur, quorum aliqui pro Parochia, ubi prædia sita sunt, decidunt; alij verò pro Parochia, ubi dominus vel colonus prædiorum illorum habitat, & consequenter certum responsum dari non posse putet Pontifex, consuetudinem observandam judicat, & juxta eam solvendas has prædiales decimas; ita tamen, ut diligenter caveatur, ne, si in diversis Episcopatibus Parochiæ existunt, termini Episcopatum confundantur.

SUMMARIUM.

1. Cui Ecclesia parochiali decima prædiales solvenda sint, consuetudo consideranda, & servanda.
2. Cum Patres diversa hac in re sentiant.

Notandum primum. Multùm hac in decimarum materia posse consuetudinem, quæ cum rationabilis sit, ipsam etiam ambiguitatem, quæ ex legibus nonnunquam oritur, tollit, *argum. L. si de interpretatione 37. & L. se ff. de legibus, & cap. dilectus 8. de consuet.* ubi dicitur: consuetudo approbata optima est legum interpretatio; & hinc, quamvis in cap. 13. 20. & 29. Pontifex multùm inclinet in eam sententiam, quæ vult solvendas decimas prædiales illi parochiæ, ubi sita sunt prædia (quam Ecclesiam jura nonnunquam matricem appellant)

A a a

lant)

lant) licet dominus, vel colonus talium prædiorum extra hanc Parochiam habiter, & alibi Sacramenta percipiat; in hoc tamen capit. & in cap. ad Apostolica 20. h. t. consuetudinem loci vult observari, quæ non tantum jus dubium interpretari potest, sed juri etiam certo derogare positivo, uti patet ex cap. final. de consuet.

Notandum secundum, Diversas quidem super hoc quæsitio, SS. PP. esse autoritates, non autem adversas, ut advertit *Gloss. hic v. diverse*: nihil ergo cuicumque auctoritati derogat, qui consuetudine suæ parochiæ in solvendis talibus decimis observat, cum nulla autoritas contra consuetudinem legitime præscriptam in tali juris merè humani casu obliget; præsertim, cum ratio etiam in relato capit. allata pro consuetudine urgeat, ut ne scilicet confundantur termini, & fines Episcopatuûm, & (quod optimè inferitur) parochiarum; ut Rectori Ecclesiæ parochialis, & Ecclesiæ ipsi sua semper maneat salva & integra fundatio, quæ nec per parochianorum factas mutationes mutari possit.

CAPITULUM XIX.

Prohibemus.

PARAPHRASIS.

Statutum est in Concilio Later. sub Alexandro III. celebrato, ut ne Laici, qui decimas cum periculo suarum Animarum detinent (adeoque injustè, & non sine peccato) eas possint in alios Laicos aliquo modo transferre, ne quidem cum consensu Episcopi (ut advertit *Glossa ibidem*) ita, ut si quis decimas ab illis receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Ecclesiasticâ sepulturâ privetur.

SUMMARIUM.

1. Quid possint circa transferendas in alios Laicos decimas Laici?
2. Quid possint injusti decimarum detentores circa tales decimas in Ecclesiis aut Religiosos transferendas?

3. Consuetudini tamen deferendum ali-
quid circa decimas justè obtentas.

Notandum primò. Hæc de injustè detinentibus decimas statui, ita ut penam hoc cap. contra injustos tales detentores, qui in alios Laicos decimas tales transferunt, statuta, eos etiam afficiat, quia Laicis talibus, quocumque titulo, etiam interdum acceperint decimas tales: qui vero Laici, justè tales decimas possident, quod mirum illæ ante Concilium Later. vel etiam post illud à legitima auctoritate interdum perpetuum sunt concessæ, id valde probabile est, quòd decimas tales alteri Laico eum consensu Episcopi in feudum accipere possint, ut docet *Glossa in cit. cap. prohibemus v. Laicos, Suarez L. 1. c. 26. n. 7*. Si enim possit Vasallus rem feudalem, sive in feudum legitime concessam, subinde dare, ut constat ex cap. unico §. si servus 2 Feud. tit. 9. idque non tantum in feudum sæculari, sed etiam Ecclesiastico locum habeat, ut docet *Clarus q. 32. num. 2* quævis decimarum feudum excipiat, quia tamen nullus juris textus ostendi potest, in quo prohibetur Laicus, justè decimas in feudum ab antiquo possidens, eas alteri subinde dare, saltem cum consensu Episcopi, consequenter à communi regula, & decima recedendum non est, prout probat *Glossa in hoc cap. v. Laicos*; & colligitur etiam ex cap. 2. de Feudis.

Notandum secundò. Injustis his decimarum detentoribus, eò quòd eas acceperint à non habente potestatem, si persuaderi non possit, ut Ecclesiæ, ad quam illæ pertinent, eas restituant, cui sine consensu Episcopi restituere possent, & deberent, cap. cum Apostolica 7. de his qui sunt à Prælati &c. posse eos, non quatenus in alios Laicos, sed Clericos, præsertim Religiosos, vel in quamcumque aliam Ecclesiam, accedente consensu Episcopi, decimas has transferre, juxta cap. cum Apostolica, & juxta *Suarezium L. 1. c. 26.* nullum quòd Laicis nulla sit de rebus Ecclesiasticis disponendi facultas, cap. fin. de reb. Ecclesi.

Eccles. alienandis. Tum quòd hoc modo multis fraudibus præveniatur; tum quòd laudabilius sit, penes Ecclesiam: quamcunque utilitatem decimarum esse, quàm penes Laicum.

3 Notandum tertio. Negari tamen non posse, nec debere, sine ingenti animarum damnatione, & plurimorum, contractuum eversione, quin consuetudine introduci possit, ut Laici liberè disponant de decimis in feudum legitimè sibi concessis, sicuti de bonis suis patrimonialibus, non tantùm in feudum illas concedendo, sed permutando etiam, donando, in dorem dando &c. qualem consuetudinem non tantùm Gallia, sed etiam nostra Germania tolerat, approbat, & usurpat; cum videantur tales decimæ per legitimam Sedis Apostolicæ auctoritatem penitus à titulis Clericalibus esse abstractæ, & separatæ; vel certè à tempore immemoriali, cum bona fide, ab ipsis Laicis tali modo possessæ, sine ullius contradictione, quæ possessio immemorialis habet vim præsumpti privilegij, aut legitimæ concessionis.

CAPITULUM XX.
Ad Apostolicæ.

PARAPHRASIS.

Intellexit Lucius Pontifex III. quòd in Hungaria sæpius contingat, ut si populi coloniam ex una diœcesi in aliam ducant, & in hac per multa etiam tempora moram trahant, ab utriusque diœcesis Episcopo, tam ab hoc, ex cujus diœcesi discesserunt, quàm ab illo, in cujus diœcesi modò commorantur, decimæ ab illis exigantur: quæ situm proinde à Pontifice fuit, quid hac in re agendum? Responderet Lucius Pontifex Archiepiscopo Strigoniensi, in relato modo Capitulo, decimas personales (si tamen earum adhuc usus sit) solvendas Ecclesiæ, ubi Sacramenta percipiunt, qui easolvere tenentur; circa prædiales tamen decimas, cui

Ecclesiæ illæ solvendæ sint, optimum esse, receptam, & diurnam loci consuetudinem observare, prout etiam habetur in *cap. in aliquibus 32. S. illa h. 1.*

SUMMARIUM.

1. Cui personales decima solvi debeant, si consuetudo non obstat?
2. De decimis ex factu pecorum, quid observandum, independentè à recepta consuetudine?
3. Utrum illis etiam Ecclesijs hæ pecorum decima debeantur, per quarum territoria ad pascua deducuntur greges?

Notandum primò. Personales decimas, 2 cum personam sequantur, rectè solvi illi Ecclesiæ, ubi Sacramenta Ecclesiastica quis percipit, cui Ecclesiæ tanquam matri suæ sine dubio persona talis sacra ab illa percipiens, obligata est: prædiales verò decimas, cum onus reale sint, & rem decimabilem sequantur, rectiùs illi Ecclesiæ solvi, ubi res onerata sita est, ut onus rebus suis annexum, semper maneat penes eam Ecclesiam, in cujus favorem onerata sunt talia prædia; nisi legitimè præscripta consuetudo aliud jubeat, quam observari vult, quoad solutionem harum decimarum, Pontifex.

Notandum secundò. De illis decimis, quæ ex factibus pecorum solvuntur, nihil quidem expressè in textu statuere Pontificem, Glossam tamen *v. personales*, ubi inter prædiales decimas has animalium decimas numerat, statuere, ibi & illi Ecclesiæ parochiali, has decimas solvendas esse, ubi & in cujus parochiæ terminis continuò pascunt, & accubant pecora. *argum. cap. commissum 4. h. 1. & Leg. pecoris pascendi ff. 4. de servitutibus prædiorum rusticorum.* Quòd si tamè per medietatem anni in territorio unius Ecclesiæ, & per alteram medietatem in territorio alterius Ecclesiæ pascantur; aut in alia ordinariè parochiâ pascantur,

¶ ¶ ¶

tur, in alia vero accubent, æquum est, juxta Glossam, ut dividantur, *arg. cap. Vulterana 25. & Legis assumptio ff. ad municipal. &c.* & cuiuslibet Ecclesiæ pars ea decimarum præstetur talium, sive dimidia sit, sive tertia, sive quarta pars, pro proportione temporis, quo pascua v. g. in hoc vel illo loco, vel habitationem habuerunt; cum enim tales decimæ prædialium magis naturam induant, consequenter illis Ecclesijs debentur, quibus prædiales decimæ debentur, ita, ut neutri Ecclesiæ præjudicium aliquod fiat, si talis proportionata divisio observetur. Rectissime tamen etiam in hoc casu talium decimarum solvendarum consuetudinis receptæ ratio habenda, prout communiter volunt AA. cum Pontifice in hoc & cap. 18. absolute loquente, circa decimas prædiales, cuiusmodi Ecclesiæ solvendæ sint: ab hac enim, si recedamus, erunt fortasse multi, qui post S. Thomam arbitrentur, magis deberi decimas tales illi Ecclesiæ, in qua grex pascitur, quam illi, in cuius territorio ovile v. g. locatur, ut quod ex pascuis talibus horum prædiorum incommodum sentit Ecclesiæ, ex decimis animalium pascentium, reparatur.

3 Notandum tertium. Nullas deberi decimas illis Ecclesijs, per quarum territoria greges aguntur, & in itinere pascuntur, dum ab uno loco in alium distantem, ut ibi pascantur, & accubent, deducuntur; tum quod respectu singularum parochiarum, in quibus deducti greges pascuntur, exigui momenti sint pascua talia; tum quod moraliter fieri non possit, ut æqua fiat respectu singularum divisio; tum quod peregrinantes, si nullibi habeant domicilium, aut prædia, ad nullas decimas obligentur. *Suarez lib. 1. cap. 21. n. 1.*

CAPITULUM XXI.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Delata fuit ad Pontificem Clementem III.

querela aliqua, super quibusdam agricolis, quod cum simul, vel diversis anni temporibus in eodem horto, aut agro, diversa semina spargant, ac fructus colligant, de fructibus tamen uniuscuiusmodi illorum seminum decimas persolvant: hanc proinde præximam præiudicio Ecclesiarum introductam, ut vult Pontifex, mandat, ut agricolæ compellantur à legitima auctoritate, per censuras Ecclesiasticas, si suæ obligationi aliter satisfacere nolint, ad decimas de omnibus prædiorum suorum fructibus, abque diminutione persolvendas.

SUMMARIUM.

1. Ex omnibus fructibus prædiorum, simul, sive diversis temporibus, in eodem prædio excolantur, decimæ debentur.
2. Ita ut compelli etiam possint Coloni ad has decimas persolvendas, si tamen fructus sint in illo loco decimandi.

Notandum primò. Quod decimæ illæ, solvendæ ex omnibus fructibus prædiorum, sive simul, sive diversis temporibus in eodem prædio colantur, ob expressum textum *cap. huius*: ubi reprehenduntur, qui contrarium faciunt, & de omnibus prædiorum fructibus decimas persolvere jubentur, ne res eadem, ut in *Glossa in cap. h. v. unius*. diverso jure censentur, quia ratio, ob quam solvi debent decimæ, ex uno semine, pugnat etiam, ut solvantur ex alio semine, sive eodem, sive diversis anni temporibus, sive in eodem, sive diversis fundis, fructus eorum seminum colligantur, quod seminantibus solent spiritualia, debentur carnalia; & divinitus dominij recognitio ex omnibus à divina bonitate concessis, quocumque tempore determinati fuerint.

Notandum secundò. Compelli etiam ad has decimas persolvendas posse colonos per Ecclesiasticas censuras legitimè auctoritate infligendas, si suæ obligationi satisfacere

non velint, modò fructus tales in loco illo sint decimabiles, cùm in tali casu non jam fructus decimati iterum decimentur, sed diversi, vel novi fructus, qui nunquam decimati fuerunt: & ager v. g. in tali casu sit in ordine ad pertolvendas decimas virtualiter multiplex, ratione variorum, & plurium diversi seminis fructuum decimabilium, quos profert: bene tamen communiter advertunt AA. quòd honestati ministrorum Ecclesiæ non conveniat, ut de quibuslibet minimis, quæ in eodem agello post demessas fruges, ad usum domesticum v. g. fortassè coluntur, decimas exigant, ne fordidi, & avari habeantur: consulenda tamen & observanda est loci consuetudo.

CAPITVLVM XXII.

Non est.

PARAPHRASIS.

Statuit Cælestinus Pontifex, cùm non sit in potestate hominum arbores plantantium, vel femina terræ mandantium, quid latio, aut plantatio sit redditura, sed fructus horum laborum nostrorum, ob incrementum, & benedictionem dante Deo, dependeat, ut de omnibus his, etiam ex negotiatione, militia, aut venatione acquisitis, decimæ solvantur ministris Ecclesiæ, antequam ullæ deducantur expensæ.

SUMMARIUM.

1. Vix aliquis usus est in nostris parvibus personalium decimarum.
2. Ha solvi non debent, ubi eorum usus est, nisi deductis expensis.

Notandum primum. Loquitur quidem in hoc Capit. Pontifex, etiam de personalibus decimis, ex negotiatione v. g. militiâ, sive prædâ in bello justo acquisitâ solvendis, & ut in cap. mox sequente ex transmissâ dicit, ex omni lucro licitè ac-

quisito: quia tamen personalium harum decimarum vix aliquis hodie in partibus nostris usus est, ideò de lucro ex negotiationibus, iusto bello, ludo, venatione liberâ, acquisito nihil solliciti; de prædialibus tantùm asserimus, cùmque Pontifice, quòd illæ sine diminutione, nullis expensis, aut tributis deductis, integre solvi debeant, & ad hanc integram solutionem faciendam, etiam per censuras Ecclesiasticas compelli possint, qui solvere quidem tenentur, solvere tamen negligunt.

Notandum secundò, Personales quidem decimas, ubi earum usus est, solvi debere, deductis tamen prius expensis (tum quòd propriè lucri rationem habeat, ex quo personales decimæ solvi debeant, quod deductis expensis in lucro acquirendo factis, superest, ut ait Vivianus in hoc cap. tum quòd pecunia illa, ex qua v. g. lucrum factum est, plerumque jam fuerit decimata, ut innuit Pontifex in cap. Pastoralis 28. h. t.) prædiales tamen decimas solvendas esse integras, priusquam ullæ expensæ, sive illæ in excolendis prædijs, sive in colligendis aut separandis fructibus, sive in meliorandis fundis &c. factæ sunt, aut fiunt, deducantur.

CAPITVLVM XXIII.

Ex transmissâ.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex, ut, cùm fidelis homo de omnibus, quæ licitè acquisivit, decimas dare debeat, miles ille nobilis, de quo hoc cap. loquitur, ad dandas etiam de molendino ad ventum exposito decimas, sine diminutione aliqua compellatur.

SUMMARIUM.

1. Quilibet homo baptizatus de se ad dandas decimas obligatur.
2. Quid de illicitè acquisitis, & quid de illis,

Aaa 3

illis, quæ quis titulo merè lucrativo acquisiuit, censendum?

3. Varij tamen tituli possunt esse, quibus à decimis solvendis eximuntur aliquis.

1. Notandum primò. Hominem quemvis baptizatum, qui de manu Sacerdotis per se Sacramenta tenetur suscipere, & nomine *fidelis hominis* in hoc Capit. venit, dare decimas debere, nisi aliquo legitimo titulo exemptus sit; cùm enim præceptum dandi decimas ex eo partim proveniat, quòd huic spiritualia sint administranda, partim ex eo, quòd ita præcipiat Ecclesia, subint autem baptizati jurisdictioni Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ præcepto obligentur, consequenter obligantur etiam per se ad dandas decimas.

2. Dices tamen adhuc: si ex licitè acquisitis tantùm debeantur decimæ, ergo ex illis, quæ quis illicitè acquisiuit, nullæ debentur, hoc autem non videtur dicendum, ne melioris conditionis sit iniquus detentor, quàm justus possessor. Respond. quòd de prædijs v. g. illicitè acquisitis dandæ sint decimæ ab eo, qui injustè ea possidet, certa sententia est, prout post *Glossam in cap. ex transmissa V. licitè* communiter docent omnes, cùm prædia talia cum onere suo decimarum transeant ad quemcunque possessorem, siue bonæ, siue malæ fidei ille fuerit: de personalibus verò decimis benè distinguit, post *Glossam* relatam, communior sententia, quòd de illis illicitè acquisitis, dari non debeant decimæ personales, quas retinere non potest, qui eas detinet, de alijs verò, quæ illicitè quidem acquisita fuerunt, retineri tamen ab eo possunt, qui ea acquisiuit, debeant dari decimæ; cùm enim in priori casu nihil sibi acquisiuerit, qui retinere non potest, consequenter ad nullas decimas exinde obligari potest; in posteriore verò casu, quo retinere potest, quòd illicitè acquisiuit, cùm acquisiuerit aliquid, consequenter ad decimas ex eo obligabitur; quamvis Ecclesia ab his, dum in vita sua flagitiosa manent, ex qua

lucrum illicitum acquirunt, decimas acceptura non sit, uti nec accipit oblatione participando aliquid de iniquo hoc loco, videatur iniquitatem lucrantium probare.

Notandum secundum. Etiam ex illis quæ titulo lucrativo, & merò gratiæ quis aquisiuit, deberi decimas, (cùm præterea loquantur universaliter) si ex hereditate v. g. legato, vel donatione, indecimas fructus pervenerunt ad aliquem, cùm transeat cum suo onere. Videtur tamen potest *lib. 4. tract. 6. c. 1. n. 2. in fine.* c. distinctio, quæ circa hæc talia gratiæ acquisita habetur, de personalibus ratione intelligenda.

Notandum tertium. Tenent ad solvendas decimas, nisi qui legitimo aliquo titulo exempti sint, & vel ab ipso jure, vel speciali privilegio, extra jus commune concessio, vel legitima præscriptio consuetudine, compositione, aut similibus civili, immunitatem à dandis decimis acquisiverint. Quinam autem, de iure communi, hac immunitate gaudent, videntur capitulis, suis in locis dicendum est. Quinam verò ex speciali jure concessi privilegij, legitime præscriptionis, compositionis, aut compositionis eximij sint, videntur, qui hæc specialia jura præterdunt, quod enim immunitas hæc haberi possit specialibus privilegijs, summorum scilicet pontificum, quorum est ab hac juris communis obligatione liberare, nemo negare potest; prout etiam, quòd possit obtineri consuetudine, uti probat immunitas, quæ hodie non tantùm à personalibus decimis liberat, sed multis etiam prædialibus minutis. Quòd autem compositione, pactatione, pacto &c. (si legitima authenticè hæc fiant) hæc immunitas obtineri possit, probat *cap. ex multiplici. hoc tit.* Et debetque quòd præscriptione, saltem 40. annorum cum titulo, vel tempore immemorabili sine titulo, si contra Ecclesiam parochiam fiat præscriptio, *cap. 1. de præscript. in l. eximere* se quis possit, probant cond. l. 2.

ad legitime præscribendum requisita, quas habere aliquem posse, qui hanc à decimis solvendis immunitatem præterdit, facile cogitanti patebit. Neque enim decimæ tributa rectè dicuntur, à quibus immunitatem præscribere non concedunt jura civilia L. *comperimus Cod. de præscript. 30. annorum*: negant enim SS. Canones, propriè tributa esse decimas, cap. *cum non sit, 33. h. t. & Glossa in cap. tua nobis 26. V. tributa h. t.* Et quamvis juris divini sit recognitio divini dominij, ac de jure naturæ debeat illis necessaria sustentatio, qui spiritualia nobis subministrant, uti ex relato Cap. *pater*, & ex pluribus decretorum textibus *causa. 16. q. 1.* nego tamen, aliter recognitionem divini dominij, aut necessariam ministrorum sustentationem haberi non posse, quàm per præstationem decimarum.

CAPITVLVM XXIV.

A nobis.

PARAPHRASIS.

Nobilis quidam possessiones suas, & fundos ad firmam, sive in emphiteusin locabat alijs, qui cum ex fundis his sibi elocatis, decimas dare nollent, ex Pontifice quærebatur, utrum ad solutionem decimarum ex agris suis sic elocatis, conductor hic esset cogendus: cui quæsito respondit Pontifex, obligari hunc talem ad decimas horum agrorum, nisi immunem se probaverit.

SUMMARIUM.

Quandonam coloni teneantur ad decimas?
 Notandum. Quòd onus sentire debeat, qui commodum sentit, juxta regulam juris §. in 6. Cum ergo conductor talis fundi decimabilis omne habeat commodum, mirum non est, quòd onus decimarum sentire etiam debeat. Aliter tamen discurrendum esset in eo casu, quo pro mercede competente excolendi agri, & pro laboris in operam impensam stipendio, mercenario famulo, velut partiali colono, ut

advertit *Glossa in Clement. 1. V. excolendas hoc tit.* traduntur: quibus in casibus, sicuti agri tales (saltem pro parte,) penes privilegiatos manent, ita ut his agri tales (saltem pro sua parte) fructificent; sic pro sua parte à decimis dandis immunes hi erunt, nisi verba privilegij aliter ponderari debeant, ut advertit relatu *Glossa.*

CAPITULUM XXV.

Tua.

PARAPHRASIS.

Si Imperator concedit alicui possessiones aliquas liberas, ac immunes ab omni onere, utrum hi ab onere decimarum dandarum ex his possessionibus sint immunes, ex Pontifice quærebatur; qui respondit in hoc Cap. immunes, ac liberas à præstandis Ecclesiæ decimis, sub qualunque generalitate possessiones tales concessæ fuerint, non esse, non tantum quòd nulla sit Laicis potestas de rebus Ecclesiasticis disponendi, sed quòd potestas secularis, quamvis imperatoria, non possit liberare ab illis, quæ divina constitutione debentur.

SUMMARIUM.

1. *Imperator non potest liberare ab onere solvendarum decimarum, etiam si fundum concedat ab omni onere liberum*
2. *Quo sensu dici possit juris divini obligatio, obligatio decimarum?*

Notandum. Quòd dicatur in ratione pro responsione in cap. hoc relata, liberare non posse Imperatorem ab illis, quæ divina constitutione debentur. Ex quibus verbis inferunt aliqui, quòd decimæ jure divino debeantur, & consequenter nulla contra illas consuetudo aut præscriptio &c. prævalere possit, cum consuetudo, quæ juri divino contraria est, sit irrationabilis, nihil utilis ad derogandum juri divino, aut ad præscribendum contra jus divinum. Rectius tamen alij dicunt, prout *supra cap.*

14. jam notatum, divini juris obligationem hanc dici posse, eò quòd ab Ecclesia secundum imitationem divini præcepti lati in antiqua Lege decimæ institutæ sint; & materialiter spectatæ, ut sunt necessaria, ac conveniens ministrorum Ecclesiæ sustentatio; formaliter tamen spectatas, quoad quotam, decimam scilicet omnium fructuum, ac lucri partem, esse obligationem hanc juris positivi Ecclesiastici, contra quod prævalere potest legitima consuetudo *cap. final. de consuet.* communis hodie Canonistarum & Theologorum docet, & nihil pro contraria sententia, allati textus probant.

CAPITULUM XXVI.

Tua nobis.

PARAPHRASIS.

Graviter conqueritur Pontifex, quòd perversis suis machinationibus Laici aliqui decimas imminuant; vel ex occasione deducendorum prius sumptuum in agricultura factorum; vel quòd suis Ecclesijs, aut alijs pijs usibus, in pauperum etiam subsidium, pro suo arbitratu applicent illas; vel quòd vitæ Clericorum flagitiosâ offensi nolint solvere illis decimas; vel quòd ab Imperatoribus possessiones tales cum omni libertate acceperint: qui si ad Deum attenderent, cujus respectu decimæ solvantur, & à quo bona omnia proveniunt, in subtrahendis decimis tam temerarij non essent; cum frivola sint omnes illæ præensiones; & decimæ non tam personis, quàm Ecclesijs perfolvantur, quæ pati non debent, ob vitam flagitiosam Clericorum: neque talibus Laicis ulla sit concessa potestas disponendi de bonis Ecclesiasticis, prout sunt decimæ; nec Deus deterioris conditionis debeat esse, quàm sit alius fundi dominus, cui juxta conventa pacta solvi debet, quod statutum est: & hinc mandat Episcopo Vercellensi, ut omnes, ad decimas perfolvendas obligatos, com-

pellat ad integrè eas absque ulla deductione suis Ecclesijs præstandas.

Notandum. Pleraque in hoc cap. perribus jam nullas esse: sic in cap. priore dictum, Imperatoris concessionem sub quocunque quantitate, & qualitate factam, & decimarum solutione non absolvetur; sic *cap. final. de rebus Ecclesiæ non alien.* dicitur, Laicis non esse disponendi circa Ecclesiastica potestatem; sic in *cap. communi 33. hoc tit.* dicitur, in solutione decimarum, detrahenda non esse prius tributa, & census; vel si prius deducantur, solvenda decimas ex his etiam ab eo, qui in *cap. hoc tit.* dicitur, non esse expensas deducendas in prædialibus decimis, quæ in prædiorum talium frugiteram magis meliorationem facta sint, priusquam decimæ ex illis solvantur; & fructus alienari non posse, si nondum sint decimati, nisi cum onere solvendarum ex illis decimarum: sic denique in hoc Capitulum Abbas post Suarez advertit, à dandis decimis non excusari vitam flagitiosam beneficiatorum, quibus onus incumbit administrandi Sacramenta illis, qui ad decimas dandas obligantur; cum hæc non dentur in gratiam talium beneficiatorum, sed ad competentem sustentationem, ex Ecclesiæ bonis capiendam; ut *reg. 55. in se. 10.*

CAPITULUM XXVII.

Ex parte A.

PARAPHRASIS.

Abbas sanctæ Columbæ Innocentio III. applicavit, ut, cum Monasterio suo indultum fuerit, de bonis suarum Parochiarum, suis laboribus excultis, decimæ integrè perere, intelligatur etiam per privilegium concedi, ut de novalibus etiam in sua parochia exurgentibus decimas quoque exigere & percipere possit; quod

dicto Monasterio concessit Pontifex, asserens, cum dicto Monasterio, quod majus est, concessum sit, decimas scilicet suae Parochiae exigere, & percipere, etiam quod minus est, concessum videri, jus scilicet percipiendi decimas de novalibus.

SUMMARIUM.

1. Quae circa hoc cap. difficultates moveri possint?
2. Nihil tamen obesse eas decisioni in hoc cap. factae ostenditur.

Notandum. Clara quidem esse concessionis verba, gravem tamen difficultatem duplicem sub eis latere. Primum enim quomodo per privilegium concessum dicitur, quod majus est, si de suis Ecclesijs parochialibus decimas tantum exigeret, & acciperet monasterium? Et quomodo ex hoc inferitur, quasi ex privilegio illi competere, ex novalibus etiam suarum Parochiarum decimas exigere, & accipere, cum utrumque hoc de jure communi monasterio, cui parochiae haec, quoad curam etiam animarum incorporatae fuerunt, competere, juxta cap. cum contingat 29. hoc tit. ? Et secundum, quomodo non pugnet, quod hic dicitur, cum illis, quae in cap. tua, 25. hoc tit. §. nec occasione asseruntur, ubi dicitur, decimas novalium non pertinere ad Laicum, qui decimas in feudum obtinet? Si enim, quod minus est, conceditur concessio majore, utique etiam conceditur, jus novalia decimandi, cui jus decimas antiquas praediorum percipiendi, in feudum concessum est. Recte tamen alij dicunt, neutram illationem hanc contra decisionem pontificiam urgere: non primam (ut plures Abbatis explicationes omittantur) eo quod haec parochiae, monasterio tantum concessa fuerint, quoad jus praesentandi & consequenter jus decimarum, monachis illis de jure communi non competere, sed ad hoc jus obtinendum, & retinendum speciali privilegio indigerant, quod facile inde ad nova-

lia extensum fuerat, tanquam minus, & peculiariter nihil praesudicans Ecclesiae, contra quam jus decimarum monasterio jam prius concessum fuerat: vel dici poterit, olim quidem huic monasterio in parochialibus his Ecclesijs sibi incorporatis jus decimarum competitivum, postea tamen, per praescriptionem v. g. legitimam, amissum hoc fuisse, ut adeo privilegio indigerent, quo jus antiquum illis restitueretur, & quidem non tantum ad decimas antiquas, sed etiam ad decimas novalium. Altera vero difficultas ex cap. tua, 25. hoc tit. §. nec occasione. nihil probat, si doctrina Abbatis attendatur, qui advertit, decisionem cap. tua, circa negandas novalium decimas ei, qui decimas antiquas in feudum obtinebat, contra Laicum latam fuisse; hanc vero decisionem pro Clericis datam fuisse, quibus datum in materia Ecclesiastica privilegium, cum favorabile sit, latius explicandum est, cum tamen datum feudum Laico in re Ecclesiastica odiosum sit, & strictae interpretationis.

CAPITULUM XXVIII.
Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Dubitavit Episcopus Helensis, utrum de molendino & piscarijs debeant solvi decimae, priusquam deducantur expensae necessariae ad rei conservationem, aut meliorationem factae: huic dubio respondet Pontifex, de personalibus quidem solvi non debere decimas, nisi prius deductae fuerint necessariae expensae; praediales vero decimas integras solvendas, priusquam deducantur factae expensae.

SUMMARIUM.

1. Quare ex praedialibus nulla deducenda prius expensa, quam solvantur decimae; & quare ex personalibus prius deduci possint?

Bbb

2. Quo-

2. *Quomodo, quæ dicuntur cap. hoc, non contradicant cap. Non est 22. h. t.*

1. **N**otandum primò. Satis intelligi posse hoc cap. ex illis, quæ supra dicta sunt in *cap. ex transmissa 23. h. t. & in cap. non est 22. h. t.* assignat tamen *Glossa hic* rationem, quare aliter de prædialibus statuerint jura, aliter de personalibus, quòd scilicet in prædialibus potissimum laboret manus Dei, ut ait *Glossa v. deducendas*, fructus producat, & consequenter rectè sibi vendicet, de omnibus his fructibus supremum suum dominium recognosci: in personalibus verò multùm operetur industria, & manus humana, suæ artis lucrum faciens, & consequenter de lucro factò, divinæ benignitati obligatus est aliquis. Vide etiam rationem apud dictam *Glossam*.

2. Notandum tamen secundò. Hujus cap. decisionem non contradicere *cap. Non est 22. h. t.* ubi dicitur, *de vino, grano, fructibus, negotiatione, militia, venatione &c. dandas decimas*, & postea subjungitur, *persolvendas illas cum integritate debita Ecclesijs, antequam deducantur ulla expensa*: ex quibus verbis, videtur colligi posse, contra decisionem *cap. hujus 28.* quòd nec de personalibus decimis solvendæ sint, deductis expensis, decimæ. Respondent enim communiter DD. quæ dicuntur in *cap. relato non est*, intelligi debere de prædialibus decimis, non autem personalibus, ita ut verba accommodanda sint, prout subjecta materia vult, & capax est, ne absurdum aliquid contra clarum textum *cap. pastoralis*, & contra alia Capitula, ubi de lucro tantùm decimæ personales persolvendæ statuuntur, inferatur.

CAPITVLVM XXIX.

Cùm contingat.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ aliqua, aut personæ Ecclesiasticæ, in parochijs quibusdam antiquas decimas nonnunquam percipiunt, quæ ex legiti-

mo titulo ad illas devenerunt: dubitatur ergò, & ex Pontifice querebatur, si in loco tali Novalia fiant, an etiam Novalium horum decimæ ad decimarum antiquarum decimarum pertineant; cui dubio responderet hic Papa, Novalium decimas, ad Ecclesiam parochialem pertinere, nisi qui antiquas decimas hæc perciperunt, rationabilem causam ostendant, quòd etiam Novalium decimæ ad se pertineant.

SUMMARIUM.

Non sufficit ad decimas Novalium in aliquo loco percipiendas, antiquarum decimarum percipiendarum jus subiri ex præscriptione, legitima infestatione, transactione, aut vi privilegii indefinite concessi; nisi expressa mentio Novalium fuit, aut ratio rationabilis subsit.

Notandum. Talem causam rationabilem non esse, quòd vi præscriptionis, legitimæ infestationis, transactionis, vel etiam vi privilegii generaliter indefinite concessi, antiquas decimas percipiat; neque enim legitima infestatio, transactio, aut privilegium tale ad ea extendunt, quæ concessionis tempore, aut tempore transactionis, nondum fuerant: expressa etiam Novalium mentio fiet, quæ in casu causa rationabilis adesse existimatur (iam Novalium decimas) multò minus præscriptio dat eis Novalium decimas, quantum antiquæ legitimo modo præscriptæ fuerint, tum quòd communi sententia Canoniorum illud tantùm præscriptione obtinere possit, quòd possidetur, Novalium autem decimæ, cum non essent eo tempore, quo antiquæ præscribentur, & consequenter possiderentur, vi præscriptionis factæ obtineri non possunt; tum quòd tales decimæ, quibus jus decimarum in alios transfertur, quàm Ecclesias parochiales proprias, etiam sint, & consequenter restringendi juxta *regulam juris 1. in 6.*

CAPA

Cum in tua.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex Episcopo Belvacensi, quod etiam Ecclesie illæ Conventuales, & monasteria, quæ jus percipiendarum decimarum, tam majorum quam minorum, in certis parochijs ab antiquo obtinent, fructuum omnium, qui in illis terris decimabilibus proveniunt, decimas percipere possint, eò quod terra talis, ab antiquo fuerit semper Ecclesijs talibus decimabilis, & res eadem non debeat diverso jure censerì.

SUMMARIUM.

1. Qui præscripsit in aliquo fundo decimas, habet jus decimarum ex quolibet fructu, qui in illo fundo crescit, & decimabilis est.
2. Quomodo intelligi debeat commune illud dictum, quod eadem res non debeat diverso jure censerì?
3. Fundatam intentionem in jure habet parochus ad decimas sua parochie, ita ut alij incumbat probatio, si contra eum ratione decimarum agat parochus.

Notandum primò. Rectè colligi ex h. cap. cum, qui in fundo aliquo præscripsit jus percipiendi decimas, posse petere, & percipere quorumcunque fructuum, qui in illo fundo crescant, decimas, si tamen fructuum illorum, qui in tali fundo crescant, decimas consuetudo solvit; & quidem copiosiores fortasse, quam prius percepit, eò quod fundus ille fructuum, qui modò in illo coluntur, & crescant, feracior sit; sic qui prius ex sylva v. g. paucas aliquas glandes pro decimis obtinuit, postmodum ex illa sylva, si excisa colatur, ut ager, copiosiores fortasse decimas frumenti habere potest.

Notandum secundò. Benè dici, quod non debeat eadem res diverso jure censerì, si scilicet eadem ratio pro quolibet casu militet: quod si enim pro uno casu hæc ratio habeatur, pro alio casu alia; pro uno casu v. g. jus commune, aut consuetudo recepta, pro alio verò casu legitima transactio, præscriptio, vel privilegium &c. si scilicet majores quidem decimæ aut fundi, ad privilegiatum v. g. pertineant, minores verò decimæ ejusdem prædij, aut fundi Ecclesie parochiali, quod fieri potest; idem prædium seu fundus diverso jure censebitur, in quantum quoad fructus majores solvendo privilegiato, quoad minores verò decimas Ecclesie parochiali obligabitur.

Notandum tertio. Fundatam quidem intentionem in jure communi habere parochum ad decimas suæ parochie (in hoc enim cap. expressè Pontifex dicit, Ecclesijs parochialibus eas solvendas, ad quas de jure communi spectat decimarum perceptio) ita ut, quamvis spoliatus juxta communem juris doctrinam ante omnia restitui debeat, in causa tamen decimarum, si parochus de rentorem decimis spoliet, locum hoc non habeat, sed debeat spoliatus probare, antequam restituatur, quod sibi jus decimarum competat, prout deciditur in cap. 2. de Restit. spoliati in 6. cum in tali casu præsumptio adversetur spoliato, & jus commune faveat spoliati, ut ait relato loco Pontifex.

CAPITULUM XXXI.
Dudum.

PARAPHRASIS.

Vesprinenfis Episcopus, Hospitalarios Hierosolymitanos, super quibusdam decimis conveniebat, præterens ad suam Ecclesiam eas pertinere; exceptit tamen contra Episcopum Hospitalis Prior, allegans præscriptionem, & quod non teneatur respondere: Pontifex tamen mandavit Priori, ut Titulum suæ præscriptionis exhiberet; cui mandato ut obediret Prior,

exhibuit Regis & Regina Hungariae privilegium, quo decimae illae in perpetuum elemosynam hospitali dicto donatae fuerunt; quam donationem etiam Clemens Papa confirmavit: quia verò hanc à Laicis provenientem decimarum ad Ecclesiam pertinentium donationem, non tantum nullam putabat Pontifex, sed nec praescribendi titulum praebere; neque per confirmationem Clementis Pontificis, quamvis instrumentum, authenticum quidem, in genere tamen tantum loquens, fuerit exhibitum, juri Episcopali derogatum sit, tunc per sententiam suam prohibuit Pontifex, ut ne Episcopus in petendis & colligendis his decimis impediretur.

SUMMARIUM.

1. Laicorum, quaeunque in dignitate constituti sint, non tantum nulla est de rebus Ecclesiasticis facta dispositio, sed nec praescribendi titulum praebet.
2. Confirmatio Papa sub forma communi, nullum infert tertio jus habenti praedictum.
3. Episcopo, quando jus decimarum integrarum conveniat?

1. Notandum primum. Quod saepius etiam dictum, Laicis de rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis disponendi, nullam esse facultatem, in quacunque dignitate sint constituti, prout etiam ex *cap. tua 25. h. t.* patet & ex *c. finali de rebus. Eccl. Alien.* & ex *cap. quod autem 5. de jure Patron.* quia, ut ait in modo relato *cap. Pontifex*, pro non dato habetur, quod ab illo donatur, qui non potest de jure donare; ita ut nec legitimum titulum ad praescribendum tribeat, cum in manifesto jure erret, qui decimarum Ecclesiasticarum donationem à Laico accipit; error autem juris manifesti, nec bonam fidem patitur, ad omnem praescriptionem necessariam, juxta *Reg. Jur. in 6. 28.* nec prodest erranti *L. nunquam 31. ff. de usucap.*

2. Notandum secundum. Per confirmatio-

nem à Papa factam sub forma communi, vel sub terminis generalibus, nullum infertur praedictum tertiae personae, cuius jus manifestum est; cum enim verba confirmationis talis scilicet tantum sint narrata, & sub conditione, si talia, quae affirmantur, bona vestra sint, ut ait Abbas in *cap. manifestus* autem juris error nullum proderit confirmatio sub forma communi & in terminis generalibus concessa.

Notaandum tertium. Non tantum quae tam decimarum Episcopo competere, *cap. conquirente 16. de off. lud. Ord. cap. de quarta, 4. de praescrip. cap. cum non, de censibus, & cap. quoniam 13. h. t.* sed habeat etiam fieri posse, ut in certis casibus integra Parochiae alicujus decima Episcopo tribuatur; & ad has decimas fundatam à communi jure intentionem habeat, contra omnes alios talium decimarum decemones, si scilicet ipse Episcopus immediatus sit parochus Ecclesiae ipsius, cui per Vicarium serviat; si praedia sita sint intra districtum quidem, nulli tamen parochiae in particulari assignata, sed ad mensuram Episcopalem pertineant; si parochiae non sint in aliquo ecclesiastici divisa, sed omnis cura, ad Episcopum immediate pertineat &c. debita tamen propter sustentationem Capellanis danda sic videatur, quae *lib. 4. dicuntur in Th. Mor. 11. 6. c. 4 n. 6.*

CAPITULUM XXXII.

In aliquibus.

PARAPHRASIS.

Praecipit in Concilio Generali Pontifex Innocentius III. ut praediorum domini parochia sua illis elocent colenda, qui decimas Ecclesiis sine contradictione solverent; cum enim populi in illis regionibus aliqui essent, qui nullas praediales decimas solverent, agri tamen illis colendi elocentur, ut copiosiores inde fructus obtinerent domini praediorum talium; non

fuis decimis fraudarentur Ecclesia, cavere voluit hoc præcepto Pontifex.

SUMMARIUM.

1. *Domini fundorum illis colonis suis decimabiles fundos elocare debent, qui fideliter sunt decimas soluturi.*
2. *Qui vendit fundum, decimabilem quidem, cujus tamen decimas non persolvit, utrum ad decimas præteritis nondum persolutas obligetur, & conveniri possit, an verò obligetur ad eas, qui emittit?*

Notandum. Putare Abbatem populos hos, Christianorum quidem nomine, gavilos fuisse, fuisse tamen hæreticos, aut schismaticos, qui, quamvis præcepto dandarum decimarum obligarentur, ut ex *cap. ex transmissa 23. h. 1.* patet, ex peculiari tamen ritu nullas solverint decimas, cum tamé fundi illi, qui excolendi illis locabantur, Ecclesia ad decimas essent obligati, ita ut compelli potuerit dominus fundi, fundos tales illis colonis elocare, qui fideliter, & utiliter eos colerent absque præjudicio Ecclesia.

Utrum autem in casu, quo prædium tale, ex quo nullæ decimæ datæ fuerunt, venditum fuit, solvendæ decimæ, nondum persolutæ, ab antiquo fundi domino, vel ab emptore peti poterint, & solvi debuerint, dubitatur.

Cui dubio valde probabiliter respondet *Snarez de Relig. l. 1. cap. 38. n. 9.* novum fundi possessorem, vel emptorem, obligari quidem ad decimas solvendas futuri temporis, non autem ad decimas præteriti temporis, nondum persolutas, de quibus Ecclesia convenire poterit antiquum fundi dominum, si suæ ille obligationi, in solutione decimarum, non responderit; cum enim fundus non absolute, & perse obligatus sit Ecclesia, sed respectivè tantum respectu fructuum scilicet, quos decimabiles profert, consequenter dominus modernus fundi, de præteritis fructibus, quos fundus nunquam adhuc tulerat, & Ecclesia non

perceperat, nullam habebit obligationem; habet tamen de futuris, & qui dominus frugiferi fundi antea fuit, ac illius fructus percepit, obligationem habebit de præteritis fructibus. Neque dicas, de jure Civili novum possessorem ad vestigalia & tributa, quæ prior dominus ratione fundi hujus nondum persolverat, obligari, *L. Impera. 7. ff. de public.* ergo etiam obligabitur novus possessor ad decimas præteriti temporis, nondum persolutas, solvendas; præsertim cum decimæ tributa dicantur egentium animarum *C. Tua 26. hoc tit.* Nego enim cum *Glossa in relatum cap. tua. V. Tributa*, quòd decimæ propriè dici possint Tributa, prout videre est ex differentijs pluribus, quæ in relata Glossa afferuntur. Videatur *Theol. Mor. sr. 6. c. 2. n. 5.*

CAPITULUM XXXIII.

Cùm non sit.

PARAPHRASIS.

In eodem Concilio statuit Pontifex idem, ex prædialibus decimis non esse prius tributa, & census deducendos, quàm solvantur decimæ; cum enim fructuum omnem commodum divinæ benignitati, quæ incrementa dedit ad scribendum sit, & Dominus Deus, in recognitionem generalis sui dominij, decimas sibi reservaverit, merito, quæ sibi solvenda reservavit, ante omnem dominij particularis, & humani recognitionem præstari debent. Vide de hujus Cap. materia, quæ de integrè solvendis decimis *in sap. cum homines. 7. sap. non est 22. cap. tua nobis 76. hoc tit.* & quæ fusiùs habet *Snarez de Religione. l. 1. cap. 35.*

CAPITULUM XXXIV.

Nuper.

PARAPHRASIS.

Concessum fuit privilegium Cisterciensibus

Bbb 3

bus

bus in cap. ex parte 10. hoc tit. ut immunes sint à solvendis decimis ex prædijs suis, & Novalibus, si proprijs manibus aut sumptibus excolant; quod privilegium, cum successu temporis, multiplicato jam Ordine, & pluribus prædijs Ordini acquisitis, Ecclesijs Parochialibus, plurimum præjudicaret, moniti fuerunt de hoc præjudicio ab Innoc. III. ex Concilio Lateranen. Abbates Ordinis Cisterciensis, in Cap. Gener. congregati, qui sanctè & providè sternerunt, ne de cætero fratres illius Ordinis tales possessiones, seu prædia emerent, aut sibi acciperent, ex quibus decimæ debentur Ecclesijs Parochialibus: vel si illis tales possessiones pro fundandis novis Monasterijs donarentur, ex quibus decimæ Ecclesijs solvi deberent, eas illis excolendas traderent, qui decimas fideliter persolventi Ecclesijs essent, ita ut de tetrarum alienis, quas in posterum conducturi, vel quocunque titulo acquisituri essent, etiam si proprijs manibus, aut sumptibus, eas excolerent, decimas illis Ecclesijs, quibus jam antea solvebantur, antequam ad hos Religiosos pervenerint, persolvant, nisi aliter cum ipsis Ecclesijs compositum fuerit. Quæ constitutio ex mente Pontificis, ad omnes alios Religiosos similibus privilegijs gaudentes extensa fuit, ut ne scilicet Ecclesijs Parochiales nimium gravarentur, si debita illis decimæ ex privilegio tali subducerentur, & Ecclesiarum Prælati prompiores essent, ad Religiosorum jura, & privilegia conservanda.

SUMMARIUM.

1. Ex omnibus prædijs post Lateran. Concilium acquisitis, debent decimæ à Religiosis solvi Ecclesijs, si prius decimæ ex illis fundis, quam ad Religiosos pervenerunt, soluta fuerant, nisi expressis verbis circa decimas

postea acquisitas, hinc Cap. fuerit derogatum.

2. Ita tamen, ut in quibusdam casibus maneat privilegium immunitatis à solvendis decimis, saltem illis & significax.
3. Si tamen hodie cum expressa derogatione Cap. hujus privilegium immunitatis à decimis concederetur Religiosis, non tantum immunes essent dandis decimis, ex fundis eo tempore possessis, sed ex fundis etiam demum ab illis postmodum acquirendis.

Notandum primò Juxta hoc Cap. debentur decimæ ab omnibus Religiosis ex prædijs, post Lateranense Concilium, quod sub annum 1215. celebratum est, acquisitis, si prius, quam fundi illi ad Monasterium pervenerunt, decimæ ex illis soluta fuerunt Ecclesijs, nisi expressis verbis in privilegio immunitatis à decimis persolvendis, postmodum concessi, hinc Cap. nuper derogetur; tum quòd Pontifex cavere vellet Ecclesijs, ne nimium illis per te- lia privilegia præjudicaretur; tum quòd res transeat cum suo onere, nisi aliter statutum, aut tractatum legitime fuerit, tum quòd constitutioni Concilii, quæ est hæc constitutio cap. nuper, non sit approbata à Concilio Lateran. non sit censetur derogatum, nisi clausula illa derogatoria, expressè ponatur, prout limitur ex Cap. ex parte 3. de Cap. Monach.

Notandum secundò, Manere privilegium immunitatis à decimis salva Religiosis, non tantum circa prædia, quæ ante Lateranense acquisiverunt, & proprijs manibus aut sumptibus ab illis excoluntur; sed quæ illis post Lateranense acquisita sunt, à nulla ex fundis illis data fuerunt decimæ, antequam ad Religiosos fundi tales pervenerunt; vel si immunitas illis concessa fuit cum derogatione expressa cap. nuper, sed etiam jura Novalia, quæ suis manibus aut sumptibus post Lateranense excoluntur.

Interdicimus.

PARAPHRASIS.

Ut provideretur Ecclesijs, ad quas decimæ de jure pertinent, quæ hîc & nunc à Laicis possidentur, in feudum legitimè concessæ, vel quæ injustè detinentur; statuit Greg. IX. Pontif. non posse, nec debere illas ab ullo accipi in pignus, si à Laico in pignus offerrentur, nisi ab illa Ecclesiâ, ad quam de jure pertinent.


SUMMARIUM.

Quod decima à Laicis injustè detenta in pignus dari non possint.

Notandum. Si sermo sit de illis decimis, quæ quidem ad Ecclesiam aliquam de jure pertinent, hîc & nunc tamen injustè à Laicis detinentur, certam, & claram esse Pontificis decisionem, cum illæ res, quæ in bonis nostris non sunt, sed alienæ, in pignus dari non possint, *Leg. Qui filios 6. Cod. qua res pignori obligari possunt.* Si tamen Laicus justè possideat decimas, in feudum v. g. legitimè sibi ab antiquo ante Concilium Lateranense datas, potest illas cum consensu Episcopi (illius scilicet, qui in feudum has decimas legitimè concessit, seu successoris, tanquam domini feudi talis, cujus consensus in alienanda re feudali requiritur) non quidem Laico alteri, si scriptum jus attendatur, sed Clerico, Religioso, Monasterio, aut Ecclesiæ alteri in pignus dare, *argum. cap. cum Apostolica Sedes 7. de his qua sunt à Pralat.* Si enim, ut in relato modò cap. conceditur, decimæ tales à Laico justo possessore donari possint Ecclesiæ alienæ, cur non possint oppignorari, quia, cui conceditur majus, videtur etiam minus concessum.

cum revocatio, quæ habetur in *Cap. nuper*, tantum facta sit de prædijs, & fundis jam antecesserit frugiferis, & decimabilibus, ex quorum immunitate, per privilegium obienta, præjudicari potuit Ecclesijs, quibus antea decimabiles fuerunt; & nulli in allato *Cap. de revocatione immunitatis à decimis Novalium*, quæ proprijs manibus aut sumptibus à Religiosis talibus excoluntur, fiat mentio: cum ergo ex *cit. cap. ex parte 10. hoc. tit. privilegium immunitatis à decimis circa prædia*, quæ proprijs manibus aut sumptibus excolunt Religiosi tales, concessum sit, & hoc privilegium præcisè revocatum sit quoad fundos jam antea decimabiles, priusquam ad monasterium pervenerunt; clarè patet, quoad alia in hoc Notando annotata, saluum manere illis concessum privilegium. Videatur *cap. ex parte 10. h. r. & Theologia Moralit. loc. cit. cap. 3. n. 4.*

Notandum tertio. Si hodie privilegium immunitatis indefinitè à decimis, quæ proprijs laboribus, aut sumptibus excoluntur, à Pontifice Religioso alicui monasterio, vel Ordini concedatur, cum expressa derogatione *cap. Nuper*, intelligi debet, quòd non tantum immune sit tale monasterium à dandis decimis circa prædia, quæ tempore concessi hujus privilegij possidebat, sed etiam quæ postmodum acquirit; cum verbis Concilij, quoad illa tantum prædia immunitati derogetur, quæ post Lateranense, sine derogatione hujus *cap. nuper* obienta sunt, non tamen, quæ cum dicti *cap. derogatione* etiam post Lateranense obienta sunt, prout probant DD. *ex hoc cap. & ex cap. que circa 22. de privilegijs.* ubi dicitur, quòd, qui indefinitè remisit decimas, intellexisse videatur, non tantum de decimis bonorum illius temporis, sed etiam futuri, cum nihil exceperit, & tamen potuerit exceperisse.



CAPI-

CAPITULUM I.

in Sexto.

Discretioni.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus, & Capit. Pisanum contra Fratres Prædicatores, & Minores querelam ad Gregorium IX. deferebant, quod videlicet illi, tam publicè in suis sermonibus ad populum, quàm alibi (in privatis scilicet collationibus, disputationibus &c.) ea proponant, quæ Auditores à decimarum, aliarumque rerum Ecclesijs debitam solutione avocent, aut animas corrumpere possint; mandat proinde hinc Pontifex, ut in posterum ab his Religiosi tales abstineant.

Notandum, Quod decretum hoc renovatum sit in *Clement. Cupientes terra de pennis*, & extensum ad omnes Religiosos, etiam non Mendicantes adjectâ pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ à transgressoribus: sicuti tamen hoc decreto non comprehenduntur Sæculares Clerici, vel Laici, ita nec hanc Clementinæ hujus pœnam timere debent. Lege, si placet dictam Clementinam, ubi plura inuncta Religiosis circa decimarum insinuationem reperies, quorum tamen hodie vix aliquis usus est.

CAPITULUM II.

Statuto.

PARAPHRASIS.

Plura in pluribus hujus Capit. §§. ab Alexandro IV. Pontifice maximo statuta, vel ex alijs jam colligi poterunt ita ut multa hinc statuta priorum constitutionum tantùm sint declarationes, renovationes, aut confirmationes, vel ex annotandis patebunt.

SUMMARIUM.

1. Privilegium de decimis Novalium quomodo intelligendum?

2. Quas decimas accipere possint Religiosi à Laicis, & quas solvere tenentur Parochijs?

3. Quid de Primitijs & Oblationibus?

Notandum I. In Principio hujus Capit. §. 1. statui sive declarati

quod privilegium de decimis Novalium alicui per privilegium concedatur, quæ antiquas decimas in aliquo loco, per privilegium v. g. possidet, non extendatur ad Novalium decimas, quas alij impetrati privilegij tempore possidebant; sed intelligendum debeat de illis Novalibus, quæ in futurum post impetratum privilegium erunt (cùm privilegium tale non concedatur præjudicio aliorum, quibus jus jam acquisitum fuit, nisi expressè tali juri derogetur) neque extendatur ad Novalium decimas, nisi in illis locis tempore impetrati privilegij antiquas decimas in locis suis possiderent aliqui: neque denique ultra quantitatem extendatur, in qua antiquæ decimæ ab impetrante privilegium percipiebantur, cùm assimilatum intelligi debeat, secundum conditionem illius, cui assimilatur. Imò non voluit Pontifex in *secundo hujus Capit.* ut in illis locis, ubi integræ decimæ antiquæ, vel ultra medietatem, alijs solverentur, quàm Ecclesijs Parochialibus, ne per privilegium de decimis Novalium, etiam impetratum & concessum nimis grave dictis Ecclesijs præjudicium haberet, privilegium tale extenderetur ultra medietatem, ob odiorum etiam restringendorum rationem: ob quam causam prævic etiam Pontifex in *§. ult. hujus cap.* concessione factam de percipiendis decimis præcisè non se extendere ad decimas Novalium; cùm tamen privilegia, quibus decimæ, vel alia similia jura alicui conceduntur, ita intelligi debeant, ut congrua ad usus sustentatio, fabrica Ecclesiæ, hospitalitas, & alia Episcopalia jura salva maneant; ut certè poterit Ordinarius, ut necessaria hæc onera Ecclesiæ relinquuntur, cogere eos, quibus decimarum privilegium indubiter, juxta *§. 2. hujus cap.*

Notandum

Notandum II. In quarto §. sanè, asseritur, quòd eas decimas à Laicis, accipere possint Religiosi, quæ ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. fuerunt illis in Feudam perpetuum concessæ, de quo in *cap. cum Apostolica 7. de his, quæ sunt à Prælat. & in cap. fin. hoc tit.* In §. 5. autem statuitur, quòd Religiosi etiam exempti solvere debeant decimas Ecclesijs Parochialibus, quibus fundi ratione decimarum priùs obligati fuerant, quàm ad illas pervenerunt, juxta *cap. 3. 4. & 10. hoc tit.* ac in judicio, si coram Diocæsano conveniantur ratione suarum decimarum, respondere debeant, compellendi ad decimas dandas, nisi immunitatem tam suam, quàm rerum suarum probaverint; quem casum specialem asserit Glossa, de quo coram Ordinario conventi poterunt etiam exempti ratione rei

litæ, quod in §. 6. *Ceterum* asseritur.

Notandum III. In Rubrica quidem hujus tituli, tam in antiquis, quàm in sexto, mentionem fieri de Primitijs etiam & Oblationibus: nulla tamen specialis mentio earum habetur in *cap. hoc tit.* & Primitiarum usus apud Judæos inter Cæremonialia præcepta computatur, in Lege verò Evangelica, olim quidem ex præcepto juris Ecclesiastici usuratus, *cap. præter 6. dist. 32. cap. Revertimini. 65. caus. 16. q. 1.* hodie tamen per contrariam consuetudinem abrogatus est. De Oblationibus verò ad altare faciendis à fidelibus (de quibus Oblationibus Rubrica hujus tit. loquitur) nullum quidem est præceptum, consuetudo tamen attendenda & observanda est. Videatur *Theolog. Mor. l. 6. c. 7.*

TITULUS XXXI.

DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.



um duo sint Ecclesiasticarum personarum genera, & de primo, videlicet secularibus Clericis, dictum sit, ordo postulat, ut de altero genere, videlicet Regularibus, quoque dicatur.

CAPITULUM I.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Nemo tondeatur, nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate. Est Canon Moguntini Concilij tempore Imperatoris Caroli habiti Anno Christi 813.

SUMMARIUM.

1. *Vt Religiosus quis efficiatur, legitima ætas requiritur.*

2. *Quæ à Tridentino ad validam professionem ratione ætatis, & annui Novitiatus requirantur?*
3. *Votorum nuncupatio in susceptione Religiosi status, spontanea esse debet.*
4. *Reclamans contra professionem ex defectu ætatis, vel ob vim factam, probare debet.*

Notandum primò. Ut Religiosus efficiatur, legitima ætas requiritur, quæ olim erat pubertatis, videlicet anni 14. completi in masculo, 12. in fæmina, *c. 1. c. 11. l. 10. causa 20. q. 1. c. 1. & 2. q. 2. c. ad nostram 8. c. cum virum 12. hoc tit.* eademque ætas secundum Canones, ad carnale matrimonium necessaria est, uti docet *lib. 5. tra. 10. p. 4. c. 12.*

Ccc

At